DE VERITATE,

PROVT DISTINGVITVR A REVELATIONE, A VERISIMILI, A POSSIBILI, ET A FALSO.

HOC OPVS CONDIDIT

EDOARDUS BARO HERBERT

DE CHERBVRY IN ANGLIA, ET CASTRI INSVLÆ DE KERRY IN HIBERNIA, ET PAR VTRIVSQVE REGNI.

ET LECTORI CVIVIS,
integri & illibati Iudicii
dicavit.

Exc. LVTETIAE PARISIORVM. CIↃ IↃC XXIV.

Iam denuò ſed auctius & emendatius recud. LONDINI
Per AVGVSTINVM MATTHAEVM.

CIↃ IↃC XXXIII.

TR 2040.30.3 *
1875, ... 22. Bequest of ...
VARD COLLEGE LIBRARY
THE GIFT OF
GEORGE HERBERT PALMER
1919

Decemb. xxxj. 1632.

PErlegi hunc Tractatum cui Titulo eſt *De Veritate, prout diſtinguitur à Revelatione, à Veriſimili, à Poßibili, & à Falſo*, qui quidem Liber continet paginas jam Impreſſas 227. manuſcriptas autem circa 17. In quibus nihil reperio bonis moribus, aut veritati Fidei contrarium, quo minùs cum utilitate publicâ Imprimatur.

GVILIELMVS HAYWOOD
Epiſcop. LONDIN. *Capell. domeſt.*

LECTORI INGENVO.

QVIA de VERITATE *ſatis ambitioſus proſtare videatur Titulus, præmittere placuit; veritates Intellectus, non Fidei, hoc in opere proponi. Quæ igitur ad Fidem attinent, propriâ luce conſpicienda relinquimus; Adeo novum omne intereà iſtiuſmodi declinamus dogma, ut ſola veritatum univerſalium* ψηφίσματι *ſuſtineat Inſtitutum noſtrum. Quæ ideò circa Fidei Myſteria, hinc inde diſſeminata comperies, tanquam è re nata emergentia habe; neque enim aliter quæ heic attulimus diſtinguere, & ſeorſim explicare licuit. Quod adæquatum inde libri ſubjectum, eſt communis illa in omni homine ſano & integro, veritatem inveſtigandi ratio; quæ quàm ardua ſit, vel ex eo conijcias, quòd nullo in publicum prodierit ſæculo, qui Argumentum iſtud ex profeſſo tractaverit; Quid quod inter rei literariæ candidatos, neminem adhuc cõvenire potuerim, qui aptam veritatis definitionem tradere in ſe reciperet? Deterruit fortaſſe texturæ difficultas, eoque magis, quod non tam è rebus ipſis, quàm aliorum opinionibus, doctrinæ conflare aggreſſi ſint ſyntagma: Nihiloſecius, cùm errores, devitantes, tum in veritates ſolennes, crebrò impingentes Authores celeberrimos obſervamus: ſed fœlici dicam an fortuito incurſu: Certè utcunque vera perhiberi poſſint, quæ ab iſtis prædicantur, nam ipſi*

 veri,

veri, haud abs re ambigatur. Qui enim verum imprudens dixerit, anne ille ſtatim verus fuerit? Sed detur fuiſſe: At qualis illa veritas? Nonne veluti abnormem ſermonem à rudioribus illis (qui artem legendi vel ſcribendi ignorant) prolatum, ita indigeſtum omne, vel ex tenui conjecturâ ortum Mathema, precariam quandam & obnoxiam diſciplinam exiſtimaveris Lector? Vtcunque ſe res habeat, nos quidem non ſolummodo plurimùm illis tribuimus, ſed eorum ſententias, ubi veræ fuerint, ſummo honore amplectimur. Dum tamen leges & ſanctiones veritatis heic traditas neſciviſſe viſi ſunt, & ſibi ipſis & alijs impoſuiſſe ſæpenumerò animadvertimus; Ante veſtibulum igitur (ne dicam in Apodyterio) ſcruta ſcilicet opiniones exuant, Adyta veritatis ingreſſuri. Omnia enim ad ſenſum, (ubi ipſi nihil anteverterint) patere ſaltem vel recludi comperient; Miſerè enim nobiſcum actum eſſet, ſi ad objecta externa percipienda, certa daretur Norma, nulla autem ad internas, æternas, veritates, (ubi ſuo ordine retexuntur) ſine errore ſupereſſet via; Neque te moveat, quod iſta à veteri non ſatis explicentur Scholâ; Dum enim aliorum placita convellere potiùs quàm quod res fuit docere, ſatius habuerunt, vel fœdè deſtituebant, vel in medio ſaltem relinquebant veritatem. Sed neque auſpicatiores (ubique) poſterioris iſtius ſæculi Scriptores dicendi ſunt. Quan-

tum vis

tumvis enim vibrantia attollant ſupercilia, dum tamen ratione excuſsâ, ſeſe aliorum mancipant opinionibus, unà cum libertate animum abjeciſſe videntur; Fit ita, ut pro Regionum & Fidei diverſitate, in id potiſſimùm incumbant, ne illos domi malè multet inopia, adeoque non tam quid in ſe verum, quàm quid ſibi ipſis utile exquirant. Ideo in Doctorum ſuorum ſententiam non χειροτονίᾳ ſolùm, ſed pedibus etiam ire videntur, à quâ neque tranſverſum digitum recedunt, niſi ut acuminis ſpecimina aliqua oſtentent: Non eſt igitur à larvato aliquo vel ſtipendioſo Scriptore, ut verum cõſummatũ opperiaris. Illorũ apprimè intereſt, ne perſonam deponant, vel aliter quidem ſentiant: Ingenuus & ſui arbitrij iſta ſolummodò præſtabit Author; Quo nomine tamen, ne laudem occupaſſe videamur, ſciat Lector; Vt liberè quidem philoſophemur, nullaſque ſubinde tranſeamus in partes, ut veritatem ſine dote, (quemadmodum olim dictum) quæramus, nobis tamen ad alia omnia fere, quàm literarũ ſtudia (uti oportuit) exequenda, otiũ fuiſſe; Partim Armis in diverſis regionibus, partim quinquennali Legationi in Gallia, partim negotijs tũ publicis, tum privatis vacavimus; Neq; erit igitur, ut ita accuratũ hoc in Argumento expectes ſcrutinium, cum iſtã ob cauſſam, tum quod lib. noſtro De errorum cauſsis, quæ heic obſcura tam rationibus quã exemplis illuſtrare, (præſertim ubi

iſta grata fuiſſe intelligam) juvante Deo, propoſitum habeamus. Satis fuerit interea iſta veritatis fundamenta (ad Euthygrammæ cujuſdã Ichnographiæ modum) poſuiſſe. Ad methodum quod ſpectat, nova omnino cùm ſit, vel ὀνοματοποιεῖν *neceſſum fuit, vel uſitata ſaltem (ubicunq; fieri potuit) in noſtrũ pertrahere ſenſum vocabula: Poſterius illud placuit; tum eam potiſſimùm ob cauſſam, quod quædam ſaniori intelligentiæ, alia vel ipſis Natalibus reſtituantur; Ita Natura quæ aliquibus* Fatum, *alijs* depravatum *quiddam ſignificat, nobis providentiã Divinam univerſalẽ denotat; Ita libertas arbitrij quæ nonnullis vel illiberale quiddam ſonat, nobis eſt ſenſus ille internus, ex quo ſe flectere undequaq; poteſt homo; Ita facultas (verbum Scholis alioquin ſatis inſolens) pro vi ſive potentiâ illa internâ, quæ objecto cognato ſuo ſub conditionibus debitis reſpondet, à nobis paſſim accipitur: Quapropter non tam verba, quàm definitiones noſtræ conſulendæ ſunt; Neque enim in doctrina ardua nomenclaturæ vulgari ſtari volumus; Hoc ſi impetravero, non erit (uti ſpero) unde hæc noſtra, vel Orthodoxis, vel quidem Heterodoxis diſplicuiſſe mereantur, cùm non ad controverſias excitandas, ſed ſolvendas, vel ſaltem eliminandas editus ſit liber hic, quod te ſcire volui, Lector.*

Dab. Caſtr. Noſt. de *Montgomery*, pridie Idus Oct.
CIↃ IↃC XXXII.

CVm eò jam deventum ſit, ut à prioribus ſæculis excogitatæ opiniones, noſtris, id negotij faceſſant, ut nullus jam ſit ferè mortalium, qui in proprio & ſibi condicto veritatem indagandi modo acquieſcat, ſed ad normam peregrinæ alicujus, ſive Eccleſiæ, ſive Scholę, ſe ita componat, ut ſua omnino abneget; Cum denique non jam, quod olim, de rerum veritate, ſit omnis quęſtio, ſed quod mirum priſcis illis temporibus viſum fuiſſet, ipſa etiam rerum vertatur Bonitas; Quid modò tam integrum, tam ſanum, in rebus, ut ſit, quò anxius, & ſui malè compos animus ſe vertat? Hinc, tot ſectæ, ſchiſmata διαιρέσεις, ὑποδιαιρέσεις, τριδιαιρέσεις, ex quibus ingenia doctorum, conſcientiæ indoctorum, miſerè torquentur. Vt non jam mundus, ſed ipſa mundi doctrina, ex pugnantibus, & temere inter ſe collatis principijs, conſtare videatur; Cum tamen portentoſum iſtud, & informe opinionum Chaos, anima quędā veritatis permeet, vitam et motum, ipſis etiam erroribus ſuppeditans; illam vtcunque inveſtigare, eruere, & ſibi vindicare, hoc in opere, propoſitum habemus; quod quidem eo animo & pietate tractandum cepimus, vt ea quę ſunt Naturę ſive providentię rerum communis, cum gratiâ ſivè providentiâ rerum particulari, ita conciliemus, ut utrique ſua ſtet dignitas.

Primò igitur veritatem ipſam, poſtea etiam quę tanquam vera adferuntur, expendimus; ita ante merces, ipſa venire ſolet in examen ſtatera, quæ niſi juſta fuerit, neque erunt, quę ex illâ æſtimantur. Nunquam ſatis interea mirari ſubit, auctores, utcunque veros in doctrinis ſuis haberi velle, cum *quid* ſit veritas, vel *qualis*, vel *quanta*, vel *quotuplex*, vel *ad quid* vel *quomodo*, vel *quando*, vel *ubi*, vel *unde*, vel *cujus gratia* ſit, adeo neſciant, ut neque quæ ipſi de veritate protu-

lêrunt, intellexiſſe videantur. Sunt plane inſulſa, quæ de veritate vulgò prædicantur; quorum hiſtoriam ut paucis ſubtexamus, obſervare licet, Palliatorum veterum, tam infœlix & protervum, ſæculis ſuis ſemper extitiſſe genus, ut pari ſtudio, & ambitu, & omnia ſciri poſſe, & nihil, docuerint. Hij veritatem in puteo latere, ſe hoc unicum ſcire ſe nihil ſcire, & ſexcentas hujuſmodi ineptias, & contradictiones ut hominum ſapientiſsimi exiſtimarentur, affirmantes; Illi, alterâ ex parte, ex principijs cognitionis (quæ ſola noſtra) etiam principia conſtitutionis rerum, mirâ temeritate adſtruentes, ſe, nihil denique non perſpectum habere, damno veritatis ineſtimabili, prędicantes.

Hinc in varias diduci claſſes cœptum eſt, unoquoque prout fautores invenerit, è populi ſuffragijs, inane & tumultuarium emendicante nomen. Hanc litem in rem ſuam ut verteret, ſubſequentibus ſæculis, nova & eatenus incognita emerſit διδασκαλία, quę ratione omnino præpoſterâ, doctrinas ſuas, ex fide quâdam etiam implicitâ petitas, ſancire, conata eſt, propius certe eo nomine, ad illos, qui nihil ſciri potuiſſe docuêre, accedens. Sed iniquo judicio, & luxatis facultatibus, dum enim fidem rationi præponunt, ſententiam ferunt, antequam cauſa dicatur: denique quid non iſto pacto imponi poſsit, cui demum non liceat iſta obtendere? Quæ igitur ſententiæ pervulgatæ inſidet veritas ex ijs quædam, quæ ſupra rationem, credenda docens, ita explicanda venit ut notitiæ illæ communes, ſive recepta demonſtrationum principia, rata habeantur, etiamſi nullo prævio facultatum indicio, conſtent. Quod igitur in omnium eſt ore, tanquam verum accipimus; neque enim ſine providentiâ illâ univerſali momenta actionum diſponente, fieri poteſt quod ubique fit; denique ſi quicquam, intra nos, inſtinctus naturalis poteſt, hoc poteſt certe; qui cum in Elementis, plantis, irrationaliter, hoc eſt ſine diſcurſu operetur; cur

non

non in nobis idem præſtiterit, præſertim in ijs quæ ad noſtram ſpectant conſervationem, cum in Homine & plura deſiderentur, & in illo demum reliqua perficiantur animantia? Ex conſenſu igitur univerſali, doctrinam inſtinctus naturalis eruimus, quam omnino, etiamſi ratione vacet, credendam ducimus; Nos interim (non diffitemur) diu torsêre opinionum luctæ & contradictiones; dum modo hij, modo illi, ſe veros in doctrinis ſuis, reliquos falſarios, mendaces, impoſtores, clamitant; eâdem fronte ex adverſâ parte diſputatum fuit, neque habui quò confugerem, proprias abnegare, alienas edoctus amplecti facultates. Tandem etiam & deſipere jubeor, neque aliquibus in doctrinis, mitius agitur, ſi tergiverſarer, quam ut damnationem utrinque ſubirem æternam. Certe, utcunque terroribus iſtis, ſive juſtis, ſive injuſtis, affecti, præſidium aliunde quam à Deo Opt. Max. non expectavimus, ad hunc igitur converſi, ex verâ fide, oratione & totis quæ gratiam, ſive providentiam ſuam particularem provocant facultatibus, auxilium ejus ſalutare impetravimus: deinde etiam Auctores evolvimus, vt quid fuerit iſta veritas, ex communi ſententia, exploratum haberemus; Hunc interea librum, veram Philoſophiam, illum, veram Theologiam, illum, veræ Eccleſiæ doctrinam, illum, verum ſalutis myſterium, in diverſis Philoſophijs, religionibus, linguis, regionibus, ſæculis, comperimus; Cum igitur veritatem, tanquam commune prædicatum, omnis doctrinæ ſcopum eſſe, advertimus, definitiones veritatis, undique ex auctoribus conquiſivimus; ſed vel nullas, vel mutilas, vel contradictorias, vel quæ rem circumloquuntur, invenimus. Dehinc abjectis libris, veritates noſtras (quas tanquam (naturæ & gratiæ opus commune, publici juris facimus) in ordinem digeſſimus.

Proinde neque *Omnia* ſciri poſſe, neque *Nihil* deprehen-

 dimus,

dimus, ſed, *quadam*. Ea ſcilicet, quæ facultatem aliquam atteſtantem obtinent, neque ſtatim ſi adſit facultas, & objectum, inter ſe conformantur. Conditiones enim niſi accedant mediæ, intra ſuos utrinque ſiſtent terminos; inde veritatem inter objecta & facultates, conformitatem ſummè conditionalem comperimus; denique & legibus & Analogiâ veritatum expenſis, omnem facultatem, cum objecto ſuo proprio conformari poſſe, ſub quibuſdam conditionibus, deprehendimus, proinde & facultatem illam, quę Beatitudinem æternam appetit, cum omni homini inſit, fruſtra dari non poſſe, ſed ex medio, ſive conditionibus ſuis, verâ nimirum religione, conformari poſſe advertimus; neque enim ſine medio finem, vel Deus propoſuit, vel ipſa rerum natura patitur; Eſt igitur Beatitudo æterna poſsibilis; Mecum, interea conſentiet humanum genus, congrua ſi ſit Homini quæ Roſæ, Communis illa notitia, eaſdem obtinere vires, quæ eôdem modo afficiunt facultates totas; à nobis igitur, univerſum æſtimamus humanum genus, & eaſdem facultates, homine quocunque ſano & integro, ab omni ævo, in foro interiori deſcriptas fuiſſe, tanquam notitiam aliquam communem proponimus. Proinde & facultates ad ſapientiam, reſipiſcentiam, ſcientiam, conſcientiam; quæ nobis una cum objectis, traditę, nulli defuiſſe vel ſæculo, vel regioni, vel quidem Homini exiſtimandum eſt; vires eaſdem quæ Pergami, olim, modò obtinet roſa, idem de facultatibus, objectis, immo & de providentiâ rerum univerſali exiſtimandum eſt. Ita enim instructi, rectius de rebus ſentiemus, ut variæ interim rerum, conformitates, à veriſimili hiſtoria conjiciantur; ſi tamen veritatem illam æternam, ex probâ facultatum conformatione (quam heic tradimus) in promptu eſſe Lector exiſtimet, aliquam veritatis definitionem apud ſe cogitet, vel demum ex auctoribus exhibeat; ſi autem vel nulla adſit,

vel

vel inepta, nonne miſerè impingetur? Videat definitionem illam, quâ veritas dicitur, *Id quod eſt*, annon errori quodammodo competat; videat an ex definitione illâ, quâ veritas perhibetur *Rectitudo ſola mente perceptibilis*, veritatem eruere poſsit; videat an ex illis definitionibus, quibus Veritas, ſive *adæquatio*, ſive *congruentia*, ſive *conformitas*, ſive *rei & intellectus*, ſive *intellectus & rei* ſtatuitur, deprehendere valeat, quibus legibus res & intellectus, ſive intellectus & res, vel adæquentur, vel congruant, vel conformentur. Nimius eſſem, ſi ſingulas recenſerem: apud te igitur tuam cogita definitionem, tuas leges, tuas conformitates; nulla autem ſi adſit, unde factum ſatis in foro interiori exiſtimes, noſtra expende. Quâ enim fronte, veritates obtrudes tuas, ſi neque cunctas facultates proprias, neque earum vires & fortitudinem, in objectis cognatis proprijs, neque leges & conditiones conformitatum, neque demum quid ſit ipſa veritas, nondū perſpicias; vel ut paucis dicam, totas veritates complectêris, cum non occurrant conditiones, unde vel unus conformatur ſenſus. Decem, adeſſe oportet, ut nudos iſtos ſpectes characteres; ſi ſcis perge, ſin minus antequam progrediaris expende; qui enim ſenſus falli aliquando circa objecta docent, vera prædicant, ſed conditiones ſi adſint, qui illos falli poſſe docent, ipſi ſunt falſi. Qui igitur ita de omnibus ambigunt ut nihil ſciri poſſe contendant, conditiones ex quibus facultates, cum objectis conformantur, ignorant, neque aliter de illis ſentiendum eſt. Totum igitur in hoc ſitum negotium eſt, ut numerum & ordinem facultatum, leges denique ex quibus conformantur, cum objectis cognatis, ſive proprijs ſive communibus, adſequaris; neque enim verum aliquod, veritate nimirum intellectus eſſe poteſt, quod facultatem aliquam atteſtantem non aſſerit, verum licet ex veritate rei exiſtat; Hoc igitur tanquam doctrinæ noſtræ funda-

mentum jacimus; neque tamen, iſtâ ex diſtinctione, quam utiliſsimam comperies, factum ſatis exiſtimes; niſi enim veritatem rei à veritate apparentiæ, veritatem conceptus à veritate intellectus diſtinguere valeas, te totum à ſophiſtis expedies nunquam; univerſa igitur veritatis noſtræ doctrina, ad probam facultatum conformationem, reducitur, quas varias, in ſe ipſo, juxta objectorum differentias unuſquiſque comperiet. Quodcunque interea verum eſt, lubenter creditur (Harmonicè enim objecta facultatibus, & vice verſâ reſpondent) ut ideo poſt ſingulas propoſitiones maturè expenſas, in omni doctrina, advertas, quis detur ſenſus, cùm ſe variè ex doctrinis affici unuſquiſque ſentire poſsit. Ideò cùm gratitudo in Deum, juſtitia, fortitudo, temperantia jubentur, Adſenſus (ita enim ſonat verbum) datur internus, & intus reſpondet facultas, quæ rem ita eſſe docet. Demum ad amuſsim conſenſus univerſalis, doctrina iſta probatur, nemo enim aliter ſenſit; ſed in vitijs & opinionibus, neque adſenſus datur integer, neque conſenſus univerſalis reſpondet, ſed hæſitatione excipitur, quod ex iſtis ſuaderi ſolet. Quod igitur heic docemus, eſt, ne ſapiamus ultra facultates, ſed ut id ſemper in lectione auctorum occurrat, ex qua facultate probant, ſuas quas adducunt ſententias, ſi enim quæ vera, facultatem aliquam atteſtantem, debitè conformatam obtinent, quæ falſa obtinebunt nullam. Ad te igitur ſpectare non poſſunt, quæ debitè expenſa ut ſint, nullo facultatum indicio conſtant. Miro interim artificio vera, veriſimilia, poſsibilia, & falſa, inter ſe committi ſolent, quorum ſeparationem, per Zetetica noſtra (quæ propoſitiones ſingulas expendit) inſtituemus; tutiſsimum interea, contra opiniones præſidium, ut ne nimium credas, niſi totas deglutire ſatius ducas contradictiones.

Revelationi inter hæc ſua ſtet veritas, quam lubenter agnoſcimus, eâ lege, ut verè revelatum eſt conſtet, quod iſto

nomine obijcitur. Quemadmodum enim revelationes ſanæ, à tentationibus inſanis, ita quidem quæ fide hiſtoricâ traduntur, ab ijs quæ fide divinâ accipiuntur, non ipſo ſolummodo ſentiendi actu, ſed toto etiam cœlo diſtare videntur. Tantum abeſt interea ut novam aliquam adſtruamus opinionem, ut maximè receptam ſententiam, ex omni Philoſophia, religione, ſæculo venemur; illi adſtipulantes ubique, niſi ubi diſcurſus, ipſi ſenſui rectè conformato, adverſatur, vel cum aliquâ notitiâ communi, ex diametro pugnat; univerſalia enim, nulla ut ſint falſa dogmata, latè tamen errorem, ubi magnam veri miſturam obtinet, ſeſe diffundere, ſæpenumero obſervamus. Ideò nihil ita animum invadit ac religio, etiam falſa, nullam cùm habeat vel antiquiorem, vel magis neceſſariam conformitatem, mens noſtra, quàm illam, quæ cum Deo inſtituitur; Nos interim de veritate in ſermone, in ſcriptura, in actione, quia facile ex noſtris intelligi poſſunt, pauca ſubjunximus.

Si tamen contendat quiſpiam, ſe, verum, etſi unde ſit illa veritas, neſciat, uti lucem, licet nunquam intueatur ſolem, percipere poſſe, non moramur; nos iſta præfati, totam veritatis doctrinam, ſeptem propoſitionibus complectemur, quarum explicationem, ad calcem adjecimus, ab humilibus iſtis principijs ad majora adſurgentes.

Eſt

I.

Eſt veritas.

EX propoſitione iſtâ quæ contra inſanos & Scepticos inſtituitur, nihil præterea volumus, quàm veritatem eſſe.

II.

Hæc veritas eſt coæterna, ſeu coæva rebus.

EX propoſitione iſtâ ſubjectum veritatis ſtatuitur, ſcilicet Ens; quodcunque igitur in rebus, eſt, vel fuit, vel quidem erit, huic coæterna datur ſeu coæva, eſſendi veritas, cum ipſo convertibilis, unde non inſcite à Neotericis vocatur, paſsio Entis. Ideò autem, adjungimus coævam, ut veritates æternę, ab ijs quę ſunt ad tempus diſtinguantur; veritas enim iſta, Herbertus ſedet, non erit vera illo ambulante.

III.

Hæc veritas eſt ubique.

PER propoſitionem tertiam, locus ſive latitudo veritatis inveſtigatur; Ens igitur quodcunque ſive finitum, ſive infinitum, ſive non Ens etiam, ſub expanſo veritatis cadit, eſt enim veritas quædam circa non entia, ficta & falſa: verè enim talia perhiberi poſſunt; latiſsimum quiddam igitur eſt iſta veritas, ita proximè ad infiniti naturam accedens, ut Ens ipſum quodammodò tranſcendat.

IV.

Hæc veritas eſt in ſe manifeſta.

PER propoſitionem iſtam, à veritate illa quę eſt in rebus per ſe, ſive ratione illâ ex quâ res à non rebus diſtinguun-

tur,

tur, devenitur ad veritatem illam, quæ eſt in apparentijs rerum, atq; inde proprietas quædam veritatis rerum deſignatur, ſcilicet ſui manifeſtatio, quam veritatem apparentiæ, proprio nomine vocamus, eſſe autem in ſe manifeſtam dicimus, quia ut ſit in nobis, plura deſiderantur. Eſt autem admodum conditionalis veritas apparentiæ, neque facilè cum rebus ipſis conformatur; ideò falſæ eſſe poſſunt apparentiæ, res falſæ eſſe non poſſunt; ſua tamen veritas apparentiæ falſæ ineſt, verè enim ita apparebit, vera tamen ex veritate rei non erit; ideò omnino veritates apparentiarum à veritatibus, quæ ſunt in rebus diſtinguimus; quia hæc conditionalis, illa verò eſt abſoluta, hæc reale quiddam, illa res ipſa exiſtat, hæc explicari & quodammodo ſejungi poſſit, illa in ſe ipſâ manens, uno eodemque modo, ubique ſe habeat: quâ verò lege, veritas apparentiæ veritati rei reſpondeat, ſuo loco docebimus; heic ſatis erit monuiſſe, veritates iſtas conditionales eſſe fundamenta ſpecierum, quæ in memoria ſervatæ, ita naturam eorum à quibus deciduntur, retinent; ut communione cum ſenſibus internis penè eâdem, cum prototypis ſuis fruantur, ideò quod pulchrum in ſpecie, nos eodem modo quô ipſum pulchrum afficit; non ita ſpecies caloris, & frigoris: quia illa corporea & craſſa natura, ultra ſenſus externos non lata, in illis exuitur, vel quidem extinguitur.

V.

Tot ſunt veritates, quot ſunt rerum differentiæ.

PER propoſitionem iſtam, quæ veritates rerum quaſcunque enumerans, ipſas etiam apparentiarum veritates complectitur, univerſa entis natura, in differentias ſuas ſive communes, ſive proprias deducitur: Exinde etiam Ens ipſum ſignatur, & per differentiam ſuam, in numerum &

ordinem veritatum adſcribitur; quemadmodum igitur ex novâ differentiâ, nova veritas, ita ex novo termino nova differentia inſurgit. Iſta igitur ſe mutuo conſtituunt. Deniq; differentiam communem eam vocamus cujus ratio in pluribus deprehendi poteſt, propriam quæ in uno ſolo; ex differentijs autem communibus, quædam ſunt magis, quędam ſunt minus communes, ex quibus genera ſumma & ſubalterna inveſtigamus, uſque quò ad ſpecies, deinde etiam ad differentiam rei quidditatem perſtringentem deveniatur. Terminum autem id omne vocamus, ex quo differentiæ latitudo præfinitur; in quorum inveſtigatione accuratam expoſcimus diligentiam, neque enim alia ad veritatum noſtrarum ſcrutinium ſupereſt via. Denique obſervamus, differentias eſſe ſignaturas, ſive Characteriſmos ad mutuas rerum Analogias percipiendas accommodatas; prout enim ex differentijs communibus, rerum convenientias, ita ex differentijs proprijs, earum diſconvenientias indagamus; in hijs autem duobus tota rerum Analogia ſita eſt.

Habent igitur differentiæ, rationes objectorum, ſive in rebus, ſive in verbis, ſive in ſignis, ſive in nobis, ſive extra nos deprehendantur. Hoc interim obſervatu dignum eſt, in quocunque horum terminum ſi addas, vel tollas, mutari objectum & novam induci differentiam, de quâ nova veritas dari poteſt; numerum differentiarum ſimplicium qui poſtulat, dictionaria, (manca ut ſint) conſulat, quas mirè complicatas in auctorum ſententijs comperiet.

VI.

Differentiæ rerum à potentijs, ſive facultatibus, nobis inſitis, innoteſcunt.

OMNEM differentiam, aliquod individuationis principium obtinere ſtatim docebimus. Huic igitur aliquod Analogũ in nobis reſpondere volumus, quod quidem

terminos inveniat, vel ponat; Quemadmodum in prioribus igitur, veritatem rei & apparentiæ propoſuimus, ita in iſta veritatem conceptus, quæ ultra conditiones ad veritatem apparentiæ requiſitas, ſuas proprias vindicat, ſine quibus nullo pacto conſtare poteſt; hæc autem ſola è prioribus noſtra eſt, neque tamen res ſemper à conceptu perfectè adæquantur; ſi enim organum non ſit integrum, ſi ullâ pravâ qualitate imbutum, ſi præconceptæ opiniones ſint falſæ, totus vitiatur conceptus; adeò ut ultra iſtam, veritatem intellectus poni neceſſum fuerit; qui rectè ne, an ſecus, ſenſerint facultates noſtræ prodromæ, ex innata intelligentia, ſive notitijs ſuis communibus, unicè dijudicare poteſt; rectè enim olim ab Oratorum Principe dictum: *Concluſit intelligentiam in anima, animum corpore Deus.* Eſt autem propoſitio iſta indefinita, & intelligi debet de differentijs quæ ex facultatibus ſuis analogis, conformari poſſunt. Plurima enim nos latêre, quę verè tamen exiſtunt, nemo ſanus quidem dubitavit unquam; qui tamen ultra facultates ſapit, deſipit, quod credulis ubique contingit; nos interea facultates illas, quæ ad veritatem, ſive conceptus, ſive intellectus poſtulantur, ſuo loco explicabimus; Heic ſatis erit monuiſſe, fundamentum veritatis rerum, in rebus ipſis, fundamentũ veritatis noſtræ, in intellectu exiſtere; ſolus enim errata corrigere poteſt intellectus noſter; ex quo deducitur propoſitio ſequens; interim conijciat Lector, iſta ſi ad veritates ſimplices prænôſſe oporteat, quanta ad complexas deſideret.

VII.

Eſt veritas quædam harum veritatum.

EX propoſitione iſtâ tandem veritas intellectus inſurgit, & tota præcedentium fabrica conſtruitur. Ita enim intellectus intelligens ſeritè intellexiſſe, ad primam redit veritatem. Ad veritatem intellectus igitur plurima deſideratur, ſcilicet veritas rei, veritas apparentiæ & veritas conceptus,

neque heic ſiſtendum eſt; quando enim ad compoſitionem devenitur, & communis rerum natura inveſtigatur, niſi cunctæ rerum veritates ritè inter ſe conformentur, fruſtra intellectus, perfectam & conſummatam illam, rerum molietur cognitionem; eſt igitur veritas intellectus, arduum, delicatum & conquiſitum quiddam; niſi enim tum res, tum apparentiæ, tum inter ſe, tum cum facultatibus internis, conformentur, niſi denique communis rerum natura, juxta differentiarum Analogiam ubique ſervetur, complexæ cùm fuerint veritates iſtæ, quot opiniones, tot erunt errores. Iam autem veritati ſtravimus viam; conditiones tamen ſuperſunt, de quibus ſuo loco; neque ideò novas, adferri exiſtimes; ſunt illæ ipſæ planè, quibus inſcienter uteris; parum advertens forſan iſta ſi deſint, & ipſam defuturam veritatem, neque aliter demum facultates cum objectis ſuis conformari poſſe: aliqua tamen uti ſanitatis, ita & veritatis, datur latitudo: & quædam ut non adſint conditiones, ſatis commoda inſtituitur veritatum notitia, & delectus; de maximè communibus primus erit ſermo; *Quiddam proprium enim omnis facultas, ut cum objecto ſuo cognato conformetur, vindicat*; interim velis, nolis, alia, tua, quàm hæc noſtra, veritas non erit, cujus definitionem poſt Zetetica noſtra, habebis Lector.

Nos interim ſeptem iſtas propoſitiones excogitavimus ad diſtinguendum varias veritatis acceptiones, in quibus, compendiosè licet, tota veritatis rudimenta proponuntur. Ex hijs igitur neque aliter, miræ auctorum contradictiones ſolvi poſſunt, dum modo in hanc, modo in illam veritatem impingunt, quâ ratione diſtinguantur, omnino neſcij.

Ex quibus patet omnem veritatem diſtingui in veritatem rei, veritatem apparentiæ, veritatem conceptus, & veritatem intellectus; eſt autem veritas rei, Inhærens illa conformitas rei cum ſeipsâ, ſive illa ratio, ex quâ res unaquæque

ſibi

ſibi conſtat; veritas apparentiæ, eſt illa conditionalis conformitas apparentiæ cum re; veritas conceptus, eſt illa conditionalis conformitas inter facultates noſtras prodromas, & res ſecundum apparentias ſuas; veritas intellectus eſt conformitas illa debita, inter conformitates prædictas. Eſt igitur omnis veritas noſtra, conformitas; cùm autem omnis conformitas ſit relatio, veritates quæcunque erunt relationes, ſive habitudines in actum, id eſt in ſenſum deductæ, neque aliter de veritate exiſtimandum eſt. Cùm autem omnis veritas, veritate rei exceptâ, ſit conditionalis, propius rem perſtringendo, tria in omni veritate ſpectanda veniunt, Quod conformatur ſive objectum, quod conformat, ſive facultas, & media, leges, ſive conditiones conformitatis. Primò autem de veritate rei, ſive vero objecto. Verum igitur & adæquatum objectum, id vocamus, quod, cùm ad Analogiam noſtram ſpectet, ita facultates noſtras immutare poteſt, ut nihil intra illud ſit, ad quod ferri non poſſint; Accurata eſt definitio iſta; an verò ullum tale detur objectum, meritò dubitari poteſt. Iuvat interea regula iſta, ne ultra facultates nos ſapere poſſe arbitremur, & ut ſobriè de objectis decernamus; neque enim in promptu eſt, cur Herbæ, bruta, &c. in hoc theatrum, prodeant, in tali, licet, Analogiâ erga nos, ſint conſtituta. Quia tamen, quod ullo tandem modo percipitur, ad noſtras partes ſpectare videtur, leges & conditiones iſtius cognationis, inveſtigandæ ſunt, inter quas quę occurrit.

Conditio prima eſt, ut intra noſtram ſtet Analogiam.

QVOD reverâ exiſtit, non ſtatim, verum eſſe objectum ſatis conſtat; plurima enim in ipsâ rerum naturâ exiſtere, quorum Cauſſæ & ipſa demum effecta nos omninò latent, communis eſt notitia, & ab experientia deſumpta concluſio.

concluſio. Ideò non ſolummodò orbis cœleſtis magnalia, ſed ea etiam quæ ad intimam mundi inferioris Analogiam ſpectant, extra ſenſuum vulgarium pomœria ſita eſſe, nemo niſi infruniti ingenij Homuncio negaverit unquam; vera igitur ut res ſit & quadantenus verum objectum iſtius modi quodcunque, quatenus tamen, abſtruſum aliquod in ſe recondit, adæquatum non eſt objectum: Quæ de iſtiuſmodi igitur objectis, ſuboritur ſcientia, imperfecta eſt; & ſecundum aliquos terminos; defectus licet, in conditionum indigentiam, non in facultates, quæ nihil non percipere poſſunt, (modò debita adſint media) reijci debeat; ſatis fuerit interea, in Analogiâ propriâ ſapere poſſe.

Conditio ſecunda eſt, ut objectum juſtam habeat magnitudinem.

QVAEDAM enim ob parvitatem deliteſcunt, ut atomi ſive rerum minimæ portiunculæ; quod non ſolum in objectis tactus & viſus, ſed & reliquorum ſenſuum ſatis conſtat, dum nullâ manifeſtâ qualitate imbuunt ſenſoria noſtra: ideò odorum, ſaporum, &c. minutiſsimæ illæ portiunculæ non percipiuntur: quod igitur minimum eſt, nulla præter intellectum facultas adſequitur; lineam tamen materialem in partes infinitas, ſecari poſſe, exiſtimant Scholæ; ſed quia conditionem iſtam quæ magnitudinem aliquam inter primas ad objecti veritatem conditiones deſiderat, non advertunt, falluntur. Eſt igitur communis notitia, aliquid in rebus dari minimum, quod nulla, præter intellectum, facultas pertingit. Per negationem tamen ad ea etiam, quæ non ſunt, pervenire poſſumus; res enim complectitur, & quidem, ultra illas, fertur intellectus noſter divinus. Sed non ſolum, minima noſtros latent ſenſus, ſed & tranſcendentia quævis, humanam exuperant perceptionem: ideò infinitum, æternum imperfectè, & non niſi ſub ratione finiti, & temporis adumbrantur.

Ad veritatem objecti tertia conditio eſt, ut habeat differentiam aliquam ſignantem.

QVOD enim nullo ex termino innoteſcit, ab alijs diſtingui nequit; ideò ſive externas facultates ſpectes, ſive internas, primæ notitiæ è differentijs ſumuntur: ſunt enim differentiæ, determinationes aliquæ, materiæ rudis & indigeſtæ, ut ex illis, mutuæ rerum Analogiæ percipiantur. Habet autem omnis differentia, ſuum individuationis principium, quod illam ſignat, & à cæteris quibuſcunque diſtinguit; quemadmodum igitur ex terminis externis, externa rerum notitia oritur, ita ex individuationis principio, ſive termino ſuo interno, facultati illi Analogæ, quæ in nobis, reſpondet objectum quodcunque. Hoc igitur in doctrinæ noſtræ limine advertendum eſt, cùm alioquin Microcoſmi ad Macrocoſmum Analogiam, percipere nequeas, proinde.

Ad veritatem objecti, conditio quarta eſt, ut ſit alicui facultati cognatum.

NEque enim ſatis fuerit in genere, res ſtare intra Analogiam noſtram, niſi cognatio quædam particularis intercedat; Ad objecta enim facultates ſuas Analogas Harmonicè excitari, ſuprà monuimus: quòd quidem ipſo ex ſenſu interno, judice in objectis ſuis ſupremo, ſatis conſtat. Cognationes autem dantur omninò diſsimiles: ideò quarundam Herbarum, fructuum, &c. dotes, diverſâ prorſus lege, ab eâ quâcum brutis, conformantur; quod ex una parte, in Cicutâ, Napello, &c. ex altera in Doronico, Rhododaphne, &c. liquere Botanici peritiores tradunt. Quæ verò inter objecta & facultates datur cognatio (neque enim promiſcuè conformantur) ſuo loco exſpecta Lector, alia, unde ab erroribus expediaris, cùm non ſuperſit via. Hæ autem ſunt imprimis conditiones, quę ad explicationem objecti, vulgò rei deſiderantur.

Ad

Ad veritatem apparentiæ conditio prima eſt, vt objectum debito tempore commoretur.

A Conditionibus objectum verum deſignantibus, ad illas ex quibus ſpecies, ſive apparentiæ rerum, cum prototypis ſuis conformantur, accedimus; inter quas iſta meritò habetur prima, ex quacunque inſtituatur parte. Niſi enim ex parte objecti, vel facultatis, mora adſit debita, res non percipiuntur, facultatibus cognatæ ut fuerint. Neque igitur miſſilia à machinis bellicis diſploſa, odores, ſapores, in tranſitu velociſsimo percipiuntur, neque quidem, quod magis eſt mirum, ipſi ſoni; quod audis igitur ex reciprocatione quadam provenire videtur, neque enim aliter quiſpiam ſeipſum audiret loquentem. An verò ipſum tactum (tanquam reliquorum baſim) præterire poſsint objecta ſua, dubitari poteſt; ſed, & ipſum ſenſorium tactus, in tranſitu velociſsimo, ita leviter affici poſſe, ab objecto ſuo cognato, ut nulla manifeſta qualitate illud imbuat, æquum eſt credere. Sed cùm à foro exteriore in interius illud ventum fuerit, mora adeò eſt neceſſaria, ut ſine illâ nihil perfici queat, inde ex propoſitionibus non ſatis expenſis, præcocia & temeraria judicia, fides ſubleſtæ & verniles, imò & nullæ, oriuntur; neque exinde tempus, & vitam conteri, queramur; In hoc enim nati ſumus, ut dubia ubicũq; fuerint enodatione digna, exagitemus, ſolvamus & in rem noſtram vertamus. Videant interea qui inutiliter horas impendunt ſuas, quanto impetu feratur, machina iſta ingens, ut ideò omni momento, maximum quiddam, natura, curſu ſuo peragat incitato, dum in magnum protrahitur ævum, noſtra quævis minima cogitatiuncula.

Ad veritatem apparentiæ Conditio ſecunda eſt, ut debitum habeat tranſitionis medium.

EX utrâque parte debitum tranſitionis medium poſtulatur, ſive facultates, ſive objecta expendas; nos tamen conditiones ex parte objecti, ubique (ubi fieri potuit) poſuimus, facultates, per ſe, ut maneant integræ, & propriâ dignitate conſpicuæ; inter cunctas autem conditiones, quæ veritatem intellectus abſolvunt, uti nulla magis neceſſaria, ita neque magis diverſa exiſtit; aliud igitur medium in objectis guſtus quàm tactus, (neque enim durum vel molle ſapit) aliud in objectis viſus quàm auditus, (quorſum enim ſine lumine aer?) & ut paucis dicam, in omni differentia novâ, aliquod novum in medio ſuo, ut ritè conformetur, deſiderari comperies, quod ſæpenumero tamen adeò exile, ut Mathematici potius fuerit, quàm Phyſici iſta demonſtrare, cùm demum ad forum interius ventum fuerit, obſervare licet, quæ in ſeipſis ſunt principia, reſpectu aliorum eſſe media, ideò non ſolùm facultas viſiva, principium ut ſit reſpectu ſui, medium eſt reſpectu intellectus, ſed & ipſæ notitiæ communes, tanquam ſumma demonſtrationum media, habendæ ſunt; univerſa igitur ex medijs, veritatis certitudo emicat, ut ideò poſt facultates & objecta cognata, id ſemper in lectione authorum occurrat, quo medio probationis uſi ſunt, iſta igitur cùm diverſa ſint, ſimul doceri non poſſunt. Hoc interim perſuaſum habeat Lector, ita nobis à Deo Opt. Max. proſpectum eſſe, ut ſi facultates, objecta, & media nobis ex naturâ, ſive providentiâ ejus communi condonentur, reliqua ad noſtram ſpectare vigilantiam, eâ lege ut ſi illis fruamur, totum gratiæ, ſive providentiæ ſuæ particulari acceptũ referatur. Neq; enim aliter vel panis, vel cibus, vel veſtis, in iſtâ indulgetur vitâ, vel quæ ab omnibus (poſt iſtam)

expetitur Beatitudo æterna; magnum eſt interea, ſi cogites naturam ultra media non ferri, ſed in illis quidem deeſſe nunquam; interim obſervatu digniſsimum eſt, media quo ſimpliciora, eo perfectiora exiſtere; in omni igitur medio, puritas, ſeu denudatio quædam ab omni qualitate proprietates apparentiarum corrumpente requiritur: itaque in aere turbido citius fallitur viſus, quàm in illo ſereno, & in aqua rurſus, quàm in aere turbido, ita in affectibus turbidis, puta irâ, timore, citius fallitur judicium, quàm in illis pacatis, ideò denique hic odor, illius odorem, hæc opinio illius veritatem obſtruit, & aliquando expugnat: in omni interea medio, impuro, & præaffecto, veritates apparentiarum corrumpuntur, ſecundum gradum qualitatis corrũpentis, ideò uno principio male poſito, innumeræ conſectabuntur abſurditates, & ſimplex error tandem fit multiplex; neque eſt inter cunctas ſyſtematis humani partes, cui magis iſto pacto imponatur quàm conſcientiæ; ſi enim quod pro veritate obtruditur, impurum eſt, ſpurca, & quaſi paſtu obſcæna fit. Caute igitur principia, & quidem è notitijs communibus petenda ſunt; quod monemus, quoniam etiamſi ubique verum ſit conſectarium iſtud, nullibi tamen majori damno erratur: Mediorum autem quædam ſunt extra nos, quædam ſunt partes noſtri; in quibus ſcitu digniſsimum eſt, nos longè facilius in medijs quæ ſunt extra nos, quàm in ijs quæ ſunt partes noſtri, errare poſſe. Ideò inter ſenſus externos, maximè circa objecta ſua fallitur viſus, proximè auditus & odoratus, deinde guſtus & tactus, minus adhuc qui utile à noxio diſtinguit, quia naturæ dictanti propior; ideò alimentum quod à linguâ felle ſuffusâ amarũ judicabitur, ſuo non deeſt muneri, organa interna ſi conſtent, quæ coctioni deſtinata; Quò magis enim neceſſariæ in univerſum facultates, eò altiori fruuntur communione; poſt iſta enim mens noſtra, ſecundo vel quidem contrario motu ferri, & nullâ non ex parte ſtare poteſt.

Ad

Ad veritatem apparentiæ conditio tertia eſt, ut ſit diſtantia debita.

Inter conditiones externas recenſetur diſtantia, intra nos enim ea ſatis diſtant, quæ cùm differentiam aliquam ſignantem nacta fuerint, inter ſe non confunduntur. Diſtantia autem, uti medium, ex utrâque parte poſtulari videtur; eâdem tamen ratione freti, ex parte objecti poſuimus; quemadmodum enim objectorum apparentiæ per quædam media non tranſeunt, ita in quibuſdam diſtantijs delitеſcere, & perdi, ipſa communis experientia docet. Conditio igitur iſta maximè ad externos, & internos ſenſus corporeos ſpectat; intimæ enim facultates diſtantijs liberantur; ideò modo quodam univerſali, id eſt more ſuo, præſentiunt facultates noeticæ, quod qui ignorat, ſtupet. Debita autem in genere diſtantia ea dicitur, in quâ partes quæ objectum integrant, deprehendi & per ſe, & ſecundum rationem totius poſſunt; qua in re obſervatu dignum eſt, quando ab uno & eodem objecto, plura apparentiarum genera dari contingit, gradus perceptionum eſſe diverſos. Ideò in flammâ citius percipitur lumen ab oculo, quàm calor à tactu; ideò in idoneo alimento citius percipitur odor gratus, quàm ſapor; ideò in foro interno, citius percipitur pulchrum in ſymmetriâ, quàm eius ratio; & quia hoc inſtinctus naturalis, illud objectum eſt diſcurſus, & quia quò interior fuerit ſenſus, eò citius conformetur; quâ ratione viſus, & auditus, ſenſuum externorum intimi meritò exiſtimari poſſunt; quę igitur animantia iſtis, maximè verò viſu gaudent, & reliquis gaudent ſenſibus; non ita è converſo; ſunt igitur diſciplinę ſenſus, auditus, & viſus. Pulcherrima ex iſtis conſectaria educi poſſunt, univerſale ſi

rerum ſyſtema, & quô modô cœleſtia, & æterna cum terreſtribus & caducis conſpirent, perſpecta habeas; ſed ad aliam, non minus ſcitu dignam, obſervationem, properamus; ea nimirum citiſsimè conformari, quorum apparentiæ per plura foramina traijci poſſunt; cùm enim non omnis apparentia, omne permeet ſenſorium, ſed quædam, ad ipſam materiam reſilire videantur, quæ communia objecta ſenſuum vocant ſcholæ, puta *figuram, motum, numerum*, &c. ſublimioris & mage ſpiritualis naturę habenda ſunt, & quia primò conformantur, & quia in corpore ſatis [illegible] ex pluribus foraminibus datur aditus; hinc & quod plures coincidant facultates, nos ſenſum verborum, ubi verba nos fugiunt, capere poſſe, & quo magis à memoria juvamur, nos citius intelligere conſtat. Hanc interea ſi reddas rationem, cur iſta non intelligis, neque enim fortaſſe hôc in ſcrutiniô à memoria juvaris, ab argumento minimè recedetur, ſi in alia fiat tranſitus; in apparentijs igitur extra debitam diſtantiam delatis, objecta diminutè exhibentur, & quò longius eo diminutius; eſſe tamen uti ſanitatis, ita veritatis latitudinem quandam, ſupra docuimus; ſatis commodè igitur è longinquo percipiuntur objecta, de cœleſtibus tamen ex oculo difficile erit judicium, & ratione medij, & diſtantiæ indebitæ; quæ igitur ex ſolo intuitu de cœleſtibus adferri ſolent, tanquam dubia & incerta in medio relinquimus; ſed non ſolùm objecta viſus, ex diſtantiâ indebitâ in anguſtias contrahuntur, ſed ipſa etiam objecta reliqua, quæ media extra nos obtinent; ideò ſonus in muſſitationem tandem deſinit & moleſtiam; Mirum eſt interea, quomodo à diſtantijs notis, in ignotas proſiliat facultas illa, quæ circa proportiones rerum verſatur; neque enim aliâ lege, de intervallis rerum, ſive intercapedinibus, judicium ferri poteſt; hinc de objectorum diſtantijs (ubi quæ interponuntur, nos latent) difficilis erit conjectura: neque enim è longinquo, ulterior pars

amnis

amnis à citeriori diſtinguitur; ultimò, ut ab iſtis, in forum interius tranſeamus; obſervatu dignum eſt, in ſpeciebus à memoria ſervatis, ea maximè diſtare, quæ nulla relatione ſunt contigua; ideò facilius revocantur aliquando, quæ olim facta.

Ad veritatem apparentiæ conditio quarta eſt, ut objectum ſitum habeat commodum.

VT è diſtantia ad externos, ita ſitus maximè ad internos ſpectat ſenſus, in objectis enim viſus & tactus, fruſtra debitum datur medium, diſtantia debita, ſitus ſi non adſit commodus; multum enim refert à qua parte incipias, differt enim pronus à ſupino, cubans ab erecto, obverſus ab averſo, uterque ab inverſo, quod non ſolùm in teipſo, ſed in characteribus iſtis, ne exemplum deſideres, experiri liceat; quos ſi invertas, falſum omninò profitebuntur indicium; intellectus tamen, ad conditiones ex quibus apparentię cum rebus ipſis conformantur, regrediens, errorem caſtigare poteſt, ſub eâ tamen acceptione quâ ſitus locum, ſive ſpatium ambiens denotat; ita nulla facultas externa, objecta ſua, ſine loci conditione percipit. Situs autem debitus ille vocatur, qui in medio, & diſtantiâ debitâ, terminos rerum, inter ſe, concinnè diſpoſitos, exhibet; ex utrâque autem parte ſitus poſtulari videtur, prout tamen conditiones reliquas (ubi fieri potuit) ſitum etiam ex parte objecti poſuimus. Quando tamen ad compoſitionem in foro interno devenitur, ultra omnes ad veritatem conciliandam, conditiones exigitur. Principium enim eſt ordinis; longè facilius enim quædam poſt alia percipiuntur, quod in intellectu, maximè verò in memoriâ conſtat. Quodcunque igitur in genere ad ordinis conſtantiam facit, ad ſitum revocari poteſt; quodcunque denique vel methodo, vel rerum diſtributioni convenit. Neque enim aliter in memoria tuâ, vel alienâ, ſervantur, fa-

cilè quæ tibi excidunt; non ſolùm igitur ſine ordine labilis eſt memoria, ſed neque in ipſo intellectu, gradus bonorum, alia lege, idoneè penſitantur, quo majus nihil præſtare poteſt ſapientia humana. Quorum igitur termini diverſi, diverſis inter ſe facultatum proportionibus, reſpondent, optimum habent ſitum: ut idcircò ſitus indebitus, inter omnes conditiones ad veritatem complexam requiſitas, maximè turbare videatur.

Conditionibus igitur iſtis, quæ veritatem apparentiæ conſtituunt, inſtructi, definitionem aliquam apparentiæ aggrediemur. Eſt igitur Apparentia Ectypum, ſeu forma vicaria rei, quæ ſub conditionibus iſtis, cum prototypo ſuo conformata, cum conceptu denuo (ſub conditionibus etiam ſuis) conformari & modo quodam ſpirituali, tanquam ab objecto deciſa, etiam in objecti abſentia conſervari poteſt: conformatur autem vel cum facultatibus externis, vel cum internis; quæ conformantur, cum facultatibus externis, exuunt naturam ſuam, neque enim ſpecies ſive apparentia ſoni Harmonici in memoriâ ſervati, tinnit: ſpecies tamen illa unde delectationem percêpit mens noſtra, in memoriam revocata, novâ voluptate nos perfundit, quod quidem ex ſenſu interno probatur. Videntur interea ſpecies illæ ſive apparentiæ quæ ab objectis deciduntur, eſſe homogeneæ cujuſdam naturæ, pars enim quantulacunque aliquam rationem totius obtinet: neque igitur montis magnitudo ſecundùm dimenſionem ſuam veram, in pupillam oculi invehitur; ut, ideò, forma vicaria rei, prout ipſa forma, tota in toto, & tota in quâlibet parte eſſe videatur. Ideò in frequenti cœtu, ſonus orantis, ſeſe ſigillatim explicat, neque aliquis totam exhaurit vocem: An verò ſint naturæ corporeæ, vel incorporeæ, niſi quid ſit corpus, conventum ſit, exagitari nequit: certiſſimum eſt terminos utrinque habere, à ventis denique circumferri, (niſi objecta quæ per oculum

lum traijciuntur excipias) docet tamen experientia, & ipſas rerum figuras ex vento vehementiore vacillare, quæ an ex medij inæqualitate, an verò ex organi concuſſione, an verò ex ipſâ figurâ tremulâ oriatur, non facilè conſtat. Certiſſimum eſt apparentiam per ſimplex medium, rectis ferri lineis; cùm igitur obſtruitur, obliquè deferri neceſſum eſt. Mirum eſt interea ſpecies illas ſervari in memoria, ſine magnitudine manifeſtâ, vel contrarietate, neque enim vel mole gravant, vel ſe invicem exuperant, ſed Antipathias deponentes mutuas, ſtabili ſociantur fœdere; quæ enim rixa aliquando exoritur, non jam ab apparentiarum naturâ, ſed à facultatibus ei muneri deſtinatis, ut res exagitent, provenire videtur; Neque igitur per ſe dulce opponitur amaro, vel calidum frigido, vel lupus agno, quia corpoream & elementarem exuêre naturam; in Analogia tamen illa internâ, quæ ad nos ſpectat, in Amorem vel odium deſinente, naturas proprias retinent; qua ratione cõformationes facultatum internarũ, ab externarũ conformationibus, maximè diſtinguuntur. Novi, à ſcholis addi conditionem, ut objectum mediocriter afficiat ſenſoriũ; ſed, ſi debita mora, debitum medium, diſtantia debita, ſitus commodus adſit, videant, an aliquid adeò invadere ſenſorium, vel ſenſationem opprimere poſſit, ut ſuo non defungatur munere, mens noſtra; Nos equidem tanquam, in re ancipiti, conſtrictum defugimus judicium, ſed ſi ſubſequentes conditiones una adſint, quidni vel ipſi ἀετῶν ὀφθαλμοὶ libero Solis intuitu gaudere queant?

FVIT veritas objecti (vulgo rei) & apparentiæ, ſequitur veritas conceptus, quam ſolam, è prioribus, noſtram facimus; habet autem prout reliquæ (præter veritatem rei) veritates, ſuas, & quod magis eſt, utrinque conditiones: eſt igitur admodũ conditionalis: ultra conditiones enim, ad veritatem apparentię requiſitas, ſuas proprias vindicat, ſine quibus,

bus, nullo pacto, conſtare poteſt; veritatem conceptus interea, à veritate apparentiæ diſtinguimus, quòd hæc extra nos, illa pars noſtri exiſtat, & proinde mutuo quodam ordine conſtituta; quemadmodum enim hæc eſt vera illa externa conformitas cum prototypo ſuo, ita iſta eſt vera illa interna conformitas objecti ſecundum apparentiam illam; ſunt igitur omninò diſtinctæ veritates iſtæ; circa veram enim apparentiam, conceptus falſus dari poteſt, & vice verſa: ita, ut ultra iſtam, veritatem intellectus poni neceſſum fuerit, qui ad conditiones regrediens, unde facultates cum objectis ſuis conformantur, errorem caſtigare poſsit: Exemplo utar, in objecto per diaphanum coloratum tranſmiſſo, organum vitiatum ſi fuerit, novus ſuperinducetur error, & quod album in objecto, purpureum in diaphano, flavum in icterici oculo eſſe poteſt; vera interim ut ſit apparentia, ex quo purpureum, verus conceptus ex quo objectum flavum, eſſe perhibetur (ita enim iſtæ ſi dentur conditiones revera videri exiſtimandum eſt) neque tamen hæc, vera, veritate objecti, (quia indebitum fuit medium) neque ille verus veritate apparentiæ (quia organum vitiatum fuit) exiſtimari poteſt. Ad conditiones igitur regrediendum eſt, (quod munus ſolius intellectus proprium facimus) ut veritatem iſtorum deprehendere valeas, hoc interim obſervatu dignum eſt, verum ſi proponatur objectum & verę denique conformitatum leges, nunquam falli intellectum, etiamſi enim niſi excitetur, ſileat intellectus, cùm demum ſoli objecto ſuo Analogo reſtipuletur; cùm denique, niſi cunctæ dentur conditiones, imperfectè & juxta præmiſſa, ſolummodò reſpondeat; verum tamen ſi detur objectũ (etiam è memoriâ deſumptum) veræ conditiones, intellectum etiam in ſomnijs verare contendimus; ſine iſtis, interea, neque vigilans ſapit, quod qui advertit cuncta, de mentis immortalitate, dubia ſolvet; ſed de hijs poſtea; omnia, interea, ad principia ſua, reducenda ſunt;

ſunt; quod non ſolùm in ſenſibus externis, ſed in internis etiam conſtat. Conſcientia enim, turbata cùm fuerit, rectè ne an ſecus ſenſerit Intellectus, cōmunes ſuas notitias repetens, unicè dijudicare poteſt. Conditiones, ex quibus conceptus ſit verus, vera ſi detur apparentia, aggredimur, proindè dicimus.

Ad veritatem conceptus, conditio prima eſt, ut organum ſit integrum.

SI enim organa facultatum, ſive externarum, ſive internarum, compreſſa, conſtipata, tumida, convulſa, everſa, eroſa, diſtorta, diſtenſa, diſrupta, cōtuſa, ſciſſa, puncta vel reſoluta fuerint, totus ad modū depravati organi, vitiatur cōceptus.

Ad veritatem conceptus conditio ſecunda eſt, vt organum nulla prava qualitate ſit imbutum.

NEque enim ſufficit organi integritas, ſi ſpiritus animales ſint exuperantes, impuri, craſſi, turbulenti, obſcuri, vaporibus mixti, item ſi tenues, obſtructi: ſi nervi malè afficiantur, frigiditate, ſiccitate, humiditate, inflammatione: ſi partes vicinæ inter quas conſenſus datur, læſæ fuerint: ſi humores redundent, deficiant, peccent, corrumpantur. Inde in oculo icterici, omnia flava, in lingua febricitantis, omnia amara ſentiuntur, indè in foro interiori, errores anticipationum, actiones ineptæ, & cùm præconceptæ opiniones fuerint falſæ, monſtra & deliria, de quibus, ubi de errorum cauſis, fuſius tractabitur.

Ad veritatem conceptus conditio tertia eſt, vt facultas quæ ſe ſenſit affecta, non vacillet.

FRuſtrà enim iſta niſi facultas applicata fuerit, reliquæ ſuo fungentur officio ideo dormientis oculus apertus licet, haud videt tamen; ideo denique in vigilanti

ſtate iſtâ alibi intenſâ, nugantur facultates, quæ circa externa verſantur: importunè denique de ſeipſis monent, in veſtibulo anteriore malè cohærentes rerum apparentiæ.

Ad veritatem conceptus conditio quarta eſt, vt facultas Analoga applicetur.

NON ſolùm facultatum organa & meatus, ſed ipſæ etiam facultates, aptum & concinnum ſuis in conformationibus poſtulant ordinem. Quemadmodum igitur naribus in ſonum inhiare, vel aures ad odorem arrigere, non niſi turpis & præpoſteri fuerit ingenij: ita qui objecta propria inſtinctus naturalis ſenſus interni, externi, vel diſcurſus tranſpoſuerit, & in alienum jus verterit, totum veritatis ſyſtema everſurum procul dubio, arbitramur. Hoc igitur imprimis animadvertendum eſt, cùm inter auctores, nullus adeò invaluerit error, ac iſte; dum enim, notitias communes (ſacra principia) ex diſcurſu convellunt, dum ea quæ ſunt diſcurſus, tanquam notitias communes, haberi poſtulant, dum ſenſus externos, ad ea quæ ſunt ſenſuum internorum, & vicibus verſis, traducunt, nihil ſuo ſtare loco videtur. Maximè igitur in auctoribus advertendum, an ea quibus fidem adhiberi poſtulant, intra facultatū legitimam cum objectis ſuis conformationem, ſita ſint, cum nullâ alioquin lege audiendi ſint, in quibus igitur adnotandum, quæ inſtinctus naturalis, primum depoſcere certitudinis locum: Secundum, quæ ſenſuum internorum: Tertium, quæ ſenſuum externorum: Quartum, quæ diſcurſus, & quia poſterior ſemper maximè conditionibus obnoxia, & quia denique ab ipsâ anima ſive probationis principio maximè recedit, quorum explicationem paſſim hoc in opere invenies.

HÆ autem, in genere, ſunt conditiones, quæ ad veritates incomplexas deſiderantur, quas ſi adſint & ipſa addicitur intellectus

intellectus veritas, ultra iſtas tamen, lumen, ad viſivá facultatem poſtulatur, de quo, ſuo loco: hoc interim obſervatu dignum eſt, facultates non rectè conformari niſi cum objectis ſuis cognatis proprijs. Ideò, uti ſuprà innuimus, infinitum non capitur, niſi finitè, à conceptu; neque æternum niſi ſub ratione temporis; Dantur tamen facultates in foro interiore iſtis reſpondentes, quæ quidem ſunt illæ ipſæ quæ æternæ ſunt, & quas in æternum ſupereſſe volumus: Internus intellectus, notitijs ſuis communibus inſtructus docet, infinitum, noſtrum ſuperare conceptum, æternum, à noſtro non menſurari tempore: Heic igitur pauliſper acquieſcendum, donec iſto excludamur & corpore & mundo. Porrò in objectis craſsis, nimis ſubtiles, in ſubtilibus, nimis craſsi eſſe videmur. Ideò naturam corpoream ſpiritibus, ſpiritualem aliquando etiam corporibus affigimus: ſed utraque ab Analogis facultatibus ſub conditionibus proprijs æſtimanda; quo pacto ſua alterutri obtinget Provincia, & vera illa conſtabit fides, quæ à facultatibus ritè conformatis oritur.

Iſta præfati, quibus conditiones, quæ ad veritates incomplexas deſiderantur, poſuimus: ad veritatem intellectus accedimus, qui certè, divinum quiddam cùm ſit, externis rerum non indigens miniſterijs, ſuis gaudet veritatibus, quæ quamvis niſi in objectorum præſentiâ ſilere videantur, cùm tamen neque objecta illis, aut illæ quidem objectis deeſſe poſsint, otioſæ & inertes, ex toto eſſe nequeunt.

Sunt autem veritates iſtæ, *Notitiæ quædam communes in omni homine ſano & integro exiſtentes, quibus tanquam cœlitus imbuta mens noſtra, de objectis hoc in theatro prodeuntibus decernit*; Harum adminiculo igitur (neque aliter) de notis æquè ac novis rerum ſpeciminibus ita ſtatuit intellectus, ut an veri exploratores fuerint, facultates noſtræ præcones & prodromæ, ſolus dignoſcere valeat; Neque tamen heic ſiſtit intellectus; ſed intus ſuſceptas re-

rum Notiones, ſub conditionibus debitis inter ſe contexens, illas deinceps tanquam bonas & conformes, vel tanquam malas & difformes, in foro interiore exhibet; Tantum abeſt interea, ut ab experientiâ & obſervatione deducantur Elementa ſive Principia iſta ſacra, ut ſine eorum aliquibus, ſive ſaltem aliquo, neque experiri, neque quidem obſervare poſsimus, niſi enim in foro interiore deſcriptum fuiſſet, nos naturam rerum indagare debuiſſe (neque enim ab objectis habemus iſtud,) niſi demum circa illam, notitiæ quædam communes nobis inditæ fuiſſent, neque hæc ab illis diſtinguere, vel communem aliquam naturam inveſtigare contigiſſet unquam: inutiliter, immo & damno noſtro, nuda ſpectra, portenta, & terrores imaginum occurrerent, Analogia ſi illa interna, unde bona vel mala judicantur, intus deſcriptis notionibus (unde enim præterea edocti ſumus?) non conſtitiſſet, Qui igitur, quantum objecta in Analogiâ rerum externâ ad propriam ipſorũ perceptionem conferunt, advertit, qui demum, quod à nobis ipſis tributum eſt, expendit, quid adventitium & peregrinum, quid denique connatum, & à natura dictante ortum, exploratum habebit; ſed non ſolùm boni & mali, utilis & noxij delectu, naturæ dicto audientes ſumus, ſed etiam in Analogia illa exteriore, unde verum à falſo diſtinguitur, facultates quaſdam reconditas obtinemus, quæ ab objectis excitatæ libentiſsimè reſpondent: Hinc fit, ut quodcunque facilè adſenſum invenit, facultatem aliquam conformantem in nobis obtineat; an verò ex facultatibus ſit, quæ circa præterita vel veriſimilia, vel circa futura, ſive poſsibilia, vel circa æternas veritates verſantur, non ſtatim conſtat: Hoc igitur, & in qua quæſtione reſpondeat, diſquirendum eſt. Neque enim qui ad funeſta triſtis excitatur ſenſus, ſemper eſt objecto conformis; conditiones enim niſi dentur, ſe non jam veritati, ſed timori paruiſſe exiſtimandum eſt: Hæc igitur prius ſuſpicienda ducimus,

cimus, eóque potius, quòd, quò magis alta & neceſſaria fuerit in univerſum veritas, eò majorem erroris admiſtionem ſuſcipere, communis doceat experientia: Nunquam intereà fallitur intellectus, præmiſſa ſi ſint debita, indebita tamen ut fuerint, ad conditiones unde objecta cum facultatibus conformantur regrediens, errorem caſtigare poteſt: ſunt igitur veritates intellectus, *Communes quædam notitiæ, in omni homine ſano & integro exiſtentes, quæ, tanquam partes ſcientiarum, ab ipſa univerſali ſapientia depromptæ, in foro interiore, ex dictamine naturæ deſcribuntur*: iſtas igitur ſeligere, ſeponere, & in ordinem digerere, hortamur Lectorem, ſuum enim in ordinem ſi compingantur notitiæ communes, ab impuro opinionum cœtu vindicatæ, & myſterijs, & fide, & quidem authoritate eximiâ pollent, figmenta, errores, & moleſtias longè abdicantes, iſta igitur præſtate, vel quidem à nobis expectate; Neq; vos magnitudo operis deterreat, infinitæ enim ad nova, & infinita objecta ut excitari poſſint facultates, omnes notitias cōmunes hanc rerum ſeriem expedientes, paucis admodum complectemur propoſitionibus; quę interim dicta ſunt in unam notitiam communem contrahimus, ſub iſtis conditionibus ſcilicet, facultates rectè conformari cum objectis ſuis. Qui igitur ſenſus falli docent, neque iſta advertūt, neq; omnem circa objecta veritatem, eſſe conditionibus obnoxiam, quę ſi dentur, neque in ſomnijs falli poſſe intellectum, ſuprà docuimus.

SEquitur veritas complexa, eſt autem circa univerſalia; Hujus canon eſt; intellectus fit verus circa univerſalia, quando veritates particulares inter ſe rectè conformantur: Magnum eſt opus complexa veritas, univerſalem enim aliquam compingit rerum naturam, eamque ex una iſtâ eâque ſimplici propoſitione, *Quæ eodem modo afficiunt facultates noſtras, eadem erga nos ſunt*; Quæ niſi vera fuerit, tota do-

ctrinæ fabrica corruit; aliàigitur non ſupereſt veritas propoſitionis iſtius, homo eſt animal, quàm quòd in animatis quædam eodem modo nos afficiant; eſt igitur quadantenus vera theſis iſta; de qua fuſiùs in Zeteticis noſtris.

Huc uſque de varijs veritatis acceptionibus, facilior ut fiat in doctrinam noſtram tranſitus, quæ facultatem, ſive illud quod conformat, objectum, ſive id quod conformatur, & leges denique conformationis unicè expendit. Primò igitur numerum & ordinem facultatum, & earum objecta, ſive propria, ſive communia, deindè etiam & leges conformationum quæ ſuperſunt, explicabimus.

Tot ſunt facultates, quot ſunt rerum differentiæ, & vice verſa.

FACULTATEM vocamus *omnem vim internam, quæ diverſum ſenſum ad objectum diverſum explicat*; quæ ad animam, quæ ad corpus ſpectant, ſuo loco docebimus. Heic ſatis erit monuiſſe, facultates quas cum Brutis communes obtinemus, ad ea objecta ſolummodò ferri, quæ ad ipſa bruta comparatè ſpectant; Propiùs interea rem perſtringendo, dicimus, numerum facultatum ſive noeticarum ſive corporearum ex propoſitione iſtâ conſtare, adeò ut dato objecto dari facultatem, & vice verſâ exiſtimandum ſit; Neque enim magè mirum objectorum extra nos, quàm facultatum intra nos differentias deprehendi, ſi vel in ipſis differentijs, omne individuationis principium, aliquod Analogum in nobis obtinere (quò indubiè redeundum eſt) apud te cogites, vel leges, ex quibus Microcoſmus reſpondet Macrocoſmo, advertas, vel quod fortaſſe, hæc ex illis oriantur; ſed ut reliqua mittam argumenta, ipſos ſenſus noſtros in teſtimonium adducam, quos ex omni differentiâ novâ, novo & inſolito more affici, nemo non advertere poteſt;

teſt; cùm igitur quodcunque novum eſt, aliquod individuationis principium extra nos obtinere neceſſe ſit, cur non in nobis aliquam facultatem Analogam denuò ſtatuere licuerit? ſi tamen plures differentias nullâ relatione contiguas, niſi quod fortaſſe, per idem ſenſorium vel foramen trajiciantur, in unius facultatis Analogæ anguſtiam, cogere lubeat, cùm tamen & diverſum inducant ſenſum, & aliquod ſaltem diverſum conformationis medium (quod cumprimis advertendum) poſtulent; vide annon eo ipſo, animam tuam, cujus unitatem imprimis tuemur, non ejus facultates, quas diverſas ad objecta diverſa explicat, intelligas; ſunt enim omninò tanquam radij animæ, qui per ſenſoriorum ſpiracula ſeſe prodentes, juxta mutuam Analogiam rerum cognatas ſpecies percipiunt; nos mirè interea turbant, dum alias differentias novis facultatibus, alias non item, donant Scholæ; ſed cùm diverſitatem objectorum & facultatum, ipſe ſenſus doceat, (quem ubique non tanquam judicem, ſed tanquam teſtem in veritatibus noſtris ſupremum adducimus) nihil præterea morari neceſſe eſt; Alia igitur facultas (per idem licet ſenſorium trajiciatur) circa *exiſtentiam* objecti, alia circa *quidditatem*, alia circa *qualitates*, alia circa *quantitatem*, alia circa *relationes*, alia circa *media*, alia circa *locum*, alia circa *tempus*, alia circa *cauſſas*, alia circa *finem*, alia denique circa iſtorum vel partes aliquas vel complicationes (quas ſub quæſtionibus *an*, *quid*, *quale*, &c. in Zeteticis noſtris complectimur) in differentiâ quacunque datâ verſatur; Cum demum ad forum interius ventum fuerit, alia facultas Analogiam internam *quâ utile vel noxium judicatur*, expendit, alia illam vult, ſive non vult, alia particularem, alia communem objecti naturam inveſtigat; quodcunque denique in rebus novum prorſus inducit ſenſum, novum individuationis principium obtinere volumus: Maximè interea cavendum, ne quæ ſæpè explorata habuiſti, tanquam nova ducas,

ducas, cùm fortaſſe in iſtiuſmodi objectis, nihil niſi differentiarum jam ſatis perſpectarum complicatio aliqua nova occurrat: heic igitur nihil præthereà advertendum eſt; denique ad *locum*, vel *tempus*, vel *medium*, &c. mutatum, quædam, quæ in iſtis tanquam recentia apparent, reducenda ſunt; Neque igitur ad anniverſariæ & gemmaſcentis violæ conſpectum, quæ nudius-quintus fortaſsè in ſinu naturæ delituit, novam excitari facultatem autumes, ſed illam ipſam planè quam olim compertam habuiſti; denique notandum reſtat, ne quæ contraria vocat ſchola, contrarijs facultatibus inſigniamus; ſolo enim gradu diſtant plurima, quæ contraria exiſtimat vulgus; neque igitur diverſa facultas circa *calorem*, diverſa circa *frigus*, ſed diverſa circa *temperaturam*, diverſa circa ejus *gradus* ſtatuenda eſt; neque diverſa circa *grave*, diverſa circa *leve*, ſed diverſa circa *pondus*, diverſa circa ejus gradus verſatur: neque alia circa *album*, alia circa *nigrum*, ſed alia circa *colorem*, alia circa ejus gradus datur; ita in ſenſibus internis, non alia, circa *virtutes*, alia circa *vitia*, ſed alia circa ea quæ debemus agere, alia circa actionum iſtarum *gradum*, *finem*, *modum*, &c. impenditur. Differentiam, intereà, ſive id quod prædicatur in quæſtione *quid eſt*, è mediâ deſumimus viâ; ejus gradus enim quæſtioni *quale*, vel *quantum* reſpondent, quod non ſolùm in univerſali virtutum, immò & rerum naturalium ſyſtemate, ſed in earum partibus obſervaſſe juvat: in quibus omnibus advertendum, facultatem illam quæ circa gradus rerum verſatur, ubique ſe immiſcere; plurima enim, vix ullâ præthereà lege diſtant: circa quam, & cumprimis rationem illam ex qua quidditates rerum inveſtigentur, in Zeteticis noſtris fuſius docebitur. Heic quidem abundè Lectori proſpectum arbitramur, ſi circa differentias haſce, facultates ſuas *quidditativè*, circa iſtas *quantitativè*, circa illas *qualitativè*, (atque ita pari paſſu, donec totum quæſtio-

num

num noſtrarum curſum abſolverit, verſari cogitet. Habet interea ex ſententiâ noſtrâ, omne novum objectum, novam facultatem conformantem, quo pacto, qui in anguem tum primò viſo, communia quædam cum anguillâ vel lampretâ, quas ſæpius vidit, obſervaverit, & ab illis, tanquam communibus differentijs, ad proprias rei quidditatem perſtringentes, delapſus fuerit, aliquod individuationis principium neceſſariò dari adverterit, quod neque communis aliqua differentia, neque ejus gradus, vel complicatio aliqua fuerit, ſed illa ipſa forma, quæ, ſcientiâ ſpeciei ſuæ prædita, differentias illas communes in unitatem anguis, compegit: cùm demum ab externis ſenſibus, ad internos (inter quos aliquem, formæ ſive principio individuationis anguis illius reſpondere volumus) deveniens, ſe fortaſſe horrore aliquo percelli ſenſerit, non jam, ad communes illas differentias, quas ſcilicet antehac perſpectas habuit, ſe affici, æquum eſt credere, ſed ad aliquam ipſius formæ virtutem, quæ ex occultâ quadam Analogiâ, ſeſe juxta affectiones iſtas, & ad externos & ad internos prodit ſenſus, quòd igitur anguem iſtum à reliquis animantibus diſtinguere valeas, quòd denique illum horreas, à naturâ rerum communi, ſive ratione illâ qua homo reſpondet mundo majori, obtines. Ex quibus conſtat, omne novum individuationis principium, novam aliquam diffundere ſpeciem, (ſive ἀπόῤῥοιαν dixeris) cui nova idcircò aliqua in nobis facultas reſponderit, novo ſenſu, ſive indicio ſeſe prodens, quod qui negaverit, ex ipſis individuorum quidditatibus evincendus eſt, quas à cæteris ejuſdem ſpeciei, & in ſeipſis, & in effectis ſuis diſtingui ſatis liquet; additæ enim & reconditæ naturæ, ut ſint quidditatum actiones, (ſi ſenſus externos reſpicias) veras tamen eſſe, nemo (quod ſciam) dubitavit unquam. Hinc fit, ut quodcunque novum eſt, facilè in memoria ſervetur; explicantur enim, & ad objectum novum dilatantur, facultates noſtræ.

Hinc etiam ad principiorum numerum facultates Analogas in teipſo emergentes obſervare licet: Horum interea ſignaturæ intimæ, ſive characteriſmi, ex differentijs inveſtigandæ ſunt; in quibus obſervatu digniſſimum eſt, communes differentias, communem rerum naturam, particulares, particularem ubique indicare; quod igitur novum in objecto datur, particularem ejus ſignat naturam; communes enim differentiæ, ubique eodem modo ſe habent: quo pacto, Eadem in iſtâ objectorum varietate vocamus, quæ poſt terminos exactè expenſos, eodem modo afficiunt facultates noſtras, Similia, quæ penè eôdem; Diverſa, cum quibus aliquod commune: Contraria, cum quibus nihil: Vbi interea differentiæ communes in objectis complicantur, & ipſas complicari facultates volumus; inter quas, facultas illa, quę rem ſecundum ſtatum ſuum naturalem expendit, ſeſe egregiè prodit, ut quæ principio individuationis ſit maximè Analoga; quâ ratione, non ſolùm Hominem equo inſidentem, à beſtia, ſed hunc etiam hominem ab illo diſcriminat: Ita porrò quando in foro interiori, objecta, ſive complexa, ſive incomplexa, è memoriæ penu deſùmuntur, in animo habere oportet, terminum ſi addas vel tollas, novam (quoad complicationem) induci differentiam, undè novum inſurgit objectum, de quo nova veritas dari poteſt; quæ omnia facillimè expedies, ſi differentias in apparentijs, cum veritatibus rerum ritè conformatas, cum veritatibus intellectus denuò conformaveris. Sed non ſolùm facultates objectis, ſed ipſa etiam objecta facultatibus reſpondent, quas ubique diſtingues, ſi has, in objectorum præſentiâ ſolummodò excitari, illas, etiam in objectorum abſentiâ agere poſſe advertas; quâ ratione (licèt nulla heic ſive eſculentorum, ſive poculentorum copia facta eſſet, cùm tamen fame vel ſiti, premi neceſſum ſit) concedendum eſt aliquid extare quod impleat; ſi beatitudo æterna (licèt nulla heic daretur beatitudo) ab

univerſo humano genere expetitur, omninò poſsibilis, nedum parabilis ſtatuenda eſt; Heic igitur interſunt media, quæ ſi dentur, & ipſa datur vera objecti conformitas. Quæ interea ad mentem, quæ ad corpus ſpectent, ſuo loco expecta; ſed non ſolùm circa præſentia, ſed etiam circa præterita & futura verſantur facultates noſtræ; quod non minùs ex tacitis & ſurdis illis ſympathijs & antipathijs, quæ etiam ad adſpectum, amorem, vel odium concitant, deprehendi poteſt, quàm ex eo, quòd ſacro aliquo morbo, furore, enthuſiaſmo correptis, futura prædicere nequaquam ſit inſolens. Hæc igitur olim, iſta cùm emeriti fuerimus corpora, reſerabit dies, cùm interea quæ, niſi in objectorum præſentia, ſilere videantur, facultates, ad illa nova, compareant, ubique novæ, quid vetat, nova ſi indies darentur objecta, novas eaſque innumeras in nobis excitari poſſe facultates? quo pacto in rebus terminum invenire potes, in te ipſo nullum.

Qui tamen fœcundam iſtam facultatum ſubolem, tanquam proletariam nimis, & fortaſſe ſpuriam reijciunt, videant annon innumeras animi dotes, eas in anguſtias cogant, ut quinque ſenſibus ſuis, non niſi quinque objecta tribuentes, multigenas illas in vocabularijs traditas dictiones, penitùs exauctorent, & tanquam nullo indicio fulta expungant: Certè utcunque cavillentur Sophiſtæ, eveniet ut niſi ad differentiarum numerum facultatum calculus ſubducendus ſit, tota ferè accidentibus quinque concludetur ſcientia humana, & perituris qualitatibus rerum vindicabitur fides, quod quàm ſit abſurdum, ex ineptis eorum argumentationibus urgeri poteſt, neque enim tinnitui, colori, nidori, ſapori, vel ipſi demum duro aut molli innituntur, ex quibus ſibi credi poſtulant.

Vt interea quædam de nomenclaturâ facultatum auctiori (quæ tota quidem, ex doctrinâ noſtrâ turbari videtur) dicamus, exoptaremus quidem, facultatibus conformantibus,

nova ubi deſunt ubique tributa fuiſſe nomina; uti enim, quamvis diverſus ſit ſenſus, qui avarè circa divitias, ambitioſè circa honores, laſcivè circa voluptates verſatur, cùm tamen in una radice recollectæ fuerint facultates iſtæ conformantes, appetitus vocantur: ita quidem, cùm circa hæc omnia, notitiæ quædam communes ſubſint, & ſuis inſigniri deſcriptionibus, & deindè, in unum contrahi verbum, tanquam operæ pretium conſulimus; quod non ſolùm in ſenſibus internis, ſed in externis etiam apprimè neceſſarium ducimus, ut tandem in id redeat omnis diſputatio, ex quâ facultate probas, cùm ſine aliqua facultate atteſtante, nulla veritas intellectus dari poſsit; ita ut non ſolùm facultates internæ, ſed & externæ etiam, quæ circa *figuram*, *motum*, *numerum*, *diſtantiam*, &c. juxta differentiarum habitudinem, ſua propria & communia ubique acciperent nomina, turpe enim, quæ extra nos luxuriantur, intra nos deeſſe, accommodata, ad res, vocabula; in iſtis igitur per ambages & devia, ſenſus tuos internos provocamus Lector, & rem, ob defectum verborum, aliquando circumloquimur: Nos interea, iſta, de facultatum numero (quarum rationem ſi non capias, nihilo pejus, quæ ſequuntur adſequêris) præfati, earum inconditam, inordinatamque aciem, quatenus per verborum injuriam & contumeliam licet, diſponemus.

CUm igitur Homo, animal numeroſæ ſtructuræ, varijs & miris facultatibus, & externis, & internis ornetur, earum diſtributionem ſatis difficilem comperimus; ad iſtam tamen quadruplicem diviſionem, omnis ex facultatibus deſumenda probatio reduci poteſt. Eſt igitur, ſive facultates agant in objecta, vel vice verſa, omnis ſenſus.

Instinctvs Natvralis,

Sive ſenſus ille qui ex facultatibus communes notitias conformantibus oritur,

vel

Sensvs Internvs,

vel

Sensvs Externvs,

vel

Discvrsvs,

De quibus magnum iſtud proferimus.

Q**vod** *neque per inſtinctum naturalem, ſenſum internum, ſenſum externum, neque diſcurſum innoteſcit, tanquam verum, nullo pacto probari poteſt.*

Nvllae cùm præterea ſuperſint, in iſtas quatuor claſſes, univerſas facultates diſponimus: Neque tamen haſce ut obtendas, factum ſatis exiſtimes; niſi enim objecta cogniata, leges denique ſive conditiones ex quibus conformantur, perſpecta habeas, vel veriſimilis, vel quidem falſus, ubique in opinionibus proſilies tuis; iſta igitur ſeriò expende. Te interea præmonitum volumus, Lector, facultates divinas quas menti vindicamus, nullis claudi carceribus, (ultrà propria enim ſua habent objecta communia,) ſed ita facultates corporeas permeare poſſe, ut quoſcunque iſte indicant ſenſus, & ille perſentire (deeſt vox apta) queant; ideò caduca intelligere, amare, &c. poſſunt facultates divinæ noëticę, non ita ad divina adſurgere poſſunt,

(ſive ſtomachoſæ, ſive laſcivientes corporeæ facultates). iſte igitur eſt propoſitionis iſtius ſenſus : Quodcunque per facultates iſtas rectè conformatas non innoteſcit, tanquam verum, adæquatum, intellectuale, univerſale & neceſſarium nullo pacto probari poteſt, ut id ſemper in librorum evolutione occurrat, ex quâ facultate probant; ſuas, quas adducunt, ſententias : mirâ enim facilitate figmenta & opiniones refellit, reſcindit, unica iſta quæſtio; ubi ſi illud quod verum & facultatem & objectum cognatum, & leges conformationum intermedias, poſtulat, in veriſimilibus quædam, in falſis totæ defuturæ ſunt conditiones; Qui igitur ex inſtinctu naturali probationem adfert, oportet, ut notitiam aliquam communem, à nullis, niſi ab inſanis, vel mente captis, (qui verborum ſenſum non adſecuti nihil non negare poſſunt) improbatam adducat; ſi à ſenſu externo vel interno, eaſdem obtines facultates, eadem ſi dentur objecta, eædem conditiones; iſta igitur conſule, niſi dubiam malis adhibere fidem; ſi à diſcurſu aliter, quàm per legitimam quampiam ab aliqua notitia communi deductionem, vel tanquam veriſimile dimittendum, vel tanquam falſum & cum aliqua notitia communi ex diametro pugnans, omninò reijciendum, quod iſta ex parte adfertur, conſulimus; Quo pacto, neque Philoſophi imponent, neque Rhetores, neque quidem veriſimiles Hiſtoriæ, ſed omni ex doctrina, Analogas tuas veritates erues.

Primò autem de inſtinctu naturali, ſive facultate illâ quacunque, quæ communes notitias conformat.

CVM ea quæ ex conſenſu univerſali fidem obtinent, & vera eſſe oporteat & ab aliqua facultate internâ conformari, (neque enim falſa eſſe, ulla ratio ſuadebit unquam,) nulla cùm ſit in homine facultas, cui iſta potius debeatur veritas, facultatem conformantem, inſtinctum naturalem facimus:

facimus: eâ lege, ut cui obſoletum videatur, aliud per me quærat vocabulum, integræ tamen ut ſtent, quæ à conſenſu univerſali petuntur, veritates: ſumma igitur veritatis norma, erit conſenſus univerſalis; ut denique maximum ſit operæ pretium, communes illas notitias ſeligere, & ſuo loco, tanquam veritates indubias, reponere. Quod certè hâc tempeſtate, (ſi unquam) neceſſarium; cum enim mortalibus, in ſummo iſto verborum diſcrimine, non jam è cathedrâ rationibus ſuadeatur, ſed ipsâ etiam reluctante conſcientiâ & ſenſu interno, terroribus quibuſdam ita extorqueatur fides, ut omnes extra Eccleſiam ſuam, ſive ignorantiæ, ſive erroris, ita rei ſint facti, ut nullâ vel morâ, vel quidem comperendinatione indultâ, damnationem, poſt hanc vitam, ſubeant æternam; non eſt quò fugiat miſera conſternatorum turba, niſi immota quædam veritatis fundamenta, ex conſenſu univerſali jaciantur, quæ in dubio quocunque ſive Theologicô, ſive Philoſophicô conſuli poſſint: Cùm enim legem id eſt notitias ſuas communes in ordinem redactas, poſtulent gentes univerſæ, illa autem varia à varijs Legiſlatoribus data ſit: Cùm denique inter leges ut aliquando diſſenſus, ita in aliquibus ſummus detur conſenſus, ſive religionem, ſiue ipſum jus civile & politicum ſpectes; conſenſum illum univerſalem, tanquam doctrinam inſtinctus naturalis & neceſſarium providentiæ divinæ univerſalis opus habemus: Mirum interea eſt, quantâ pertinaciâ, infirmus mortalis, vel totas doctorum amplectitur ſententias, vel totas reijcit, & dum nullo uti novit delectu, fide quâdam implicitâ, ſeipſum miſerè involvens, proprias impotens abnegat facultates, & cùm ad terrores deſpiciendos non ſit animo ſatis erecto, timet & odit: ſed neque omni ex parte veræ ſunt doctrinæ vulgares, neque omni ex parte falſæ; nulla enim unquam fuit tam barbara ſive Religio, ſive Philoſophia, cui ſua non ſtetit veritas: quę tamen ſi

errorum

nova ubi deſunt ubique tributa fuiſſe nomina; uti enim, quamvis diverſus ſit ſenſus, qui avarè circa divitias, ambitioſè circa honores, laſcivè circa voluptates verſatur, cùm tamen in una radice recollectæ fuerint facultates iſta conformantes, appetitus vocantur: ita quidem, cùm circa hęc omnia, notitiæ quædam communes ſubſint, & ſuis inſigniri deſcriptionibus, & deindè, in unum contrahi verbum, tanquam operæ pretium conſulimus; quod non ſolùm in ſenſibus internis, ſed in externis etiam apprimè neceſſarium ducimus, ut tandem in id redeat omnis diſputatio, ex quâ facultate probas; cùm ſine aliqua facultate atteſtante, nulla veritas intellectus dari poſsit; ita ut non ſolùm facultates internæ, ſed & externæ etiam, quæ circa *figuram*, *motum*, *numerum*, *diſtantiam*, &c. juxta differentiarum habitudinem, ſua propria & communia ubique acciperent nomina; turpe enim, quæ extra nos luxuriantur, intra nos deeſſe, accommodata, ad res, vocabula; in iſtis igitur per ambages & devia, ſenſus tuos internos provocamus Lector, & rem, ob defectum verborum, aliquando circumloquimur: Nos interea, iſta, de facultatum numero (quarum rationem ſi non capias, nihilo pejus, quæ ſequuntur adſequêris) præfati; earum incondıtam, inordinatamque aciem, quatenus per verborum injuriam & contumeliam licet, diſponemus.

CVm igitur Homo, animal numeroſæ ſtructuræ, varijs & miris facultatibus, & externis, & internis ornetur, earum diſtributionem ſatis difficilem comperimus; ad iſtam tamen quadruplicem diviſionem, omnis ex facultatibus deſumenda probatio reduci poteſt. Eſt igitur, ſive facultates agant in objecta, vel vice verſa, omnis ſenſus.

INSTINCTVS NATVRALIS,

Sive ſenſus ille qui ex facultatibus communes notitias conformantibus oritur,

vel

SENSVS INTERNVS,

vel

SENSVS EXTERNVS,

vel

DISCVRSVS,

De quibus magnum iſtud proferimus.

QVOD *neque per inſtinctum naturalem, ſenſum internum, ſenſum externum, neque diſcurſum innoteſcit, tanquam verum, nullo pacto probari poteſt.*

NVLLAE cùm præterea ſuperſint, in iſtas quatuor claſſes, univerſas facultates diſponimus: Neque tamen haſce ut obtendas, factum ſatis exiſtimes; niſi enim objecta cognata, leges denique ſive conditiones ex quibus conformantur, perſpecta habeas, vel veriſimilis, vel quidem falſus, ubique in opinionibus proſilies tuis, iſta igitur ſeriò expende. Te interea præmonitum volumus, Lector, facultates divinas quas menti vindicamus, nullis claudi carceribus, (ultrà propria enim ſua habent objecta communia,) ſed ita facultates corporeas permeare poſſe, ut quoſcunque iſtę inducant ſenſus, & illę perſentire (deeſt vox apta) queant, ideò caduca intelligere, amare, &c. poſſunt facultates divinæ noëticę, non ita ad divina adſurgere poſſunt,

 (ſive

(ſive ſtomachoſæ, ſive laſcivientes corporeæ facultates). iſte igitur eſt propoſitionis iſtius ſenſus: Quodcunque per facultates iſtas rectè conformatas non innoteſcit, tanquam verum, adæquatum, intellectuale, univerſale & neceſſarium nullo pacto probari poteſt, ut id ſemper in librorum evolutione occurrat, ex quâ facultate probant; ſuas, quas adducunt, ſententias: mirâ enim facilitate figmenta & opiniones refellit, reſcindit, unica iſta quæſtio; ubi ſi illud quod verum & facultatem & objectum cognatum, & leges conformationum intermedias, poſtulat, in veriſimilibus quædam, in falſis totæ defuturæ ſunt conditiones; Qui igitur ex inſtinctu naturali probationem adfert, oportet, ut notitiam aliquam communem, à nullis, niſi ab inſanis, vel mente captis, (qui verborum ſenſum non adſecuti nihil non negare poſſunt) improbatam adducat; ſi à ſenſu externo vel interno, eaſdem obtines facultates, eadem ſi dentur objecta, eædem conditiones; iſta igitur conſule, niſi dubiam malis adhibere fidem; ſi à diſcurſu aliter, quàm per legitimam quampiam ab aliqua notitia communi deductionem, vel tanquam veriſimile dimittendum, vel tanquam falſum & cum aliqua notitia communi ex diametro pugnans, omninò reijciendum, quod iſta ex parte adfertur, conſulimus; Quo pacto, neque Philoſophi imponent, neque Rhetores, neque quidem veriſimiles Hiſtoriæ, ſed omni ex doctrina, Analogas tuas veritates erues.

Primò autem de inſtinctu naturali, ſive facultate illâ quacunque, quæ communes notitias conformat.

CVM ea quæ ex conſenſu univerſali fidem obtinent, & vera eſſe oporteat & ab aliqua facultate internâ conformari, (neque enim falſa eſſe, ulla ratio ſuadebit unquam,) nulla cùm ſit in homine facultas, cui iſta potius debeatur veritas, facultatem conformantem, inſtinctum naturalem facimus:

facimus: eâ lege, ut cui obſoletum videatur, aliud per me quærat vocabulum, integræ tamen ut ſtent, quæ à conſenſu univerſali petuntur, veritates: ſumma igitur veritatis norma, erit conſenſus univerſalis; ut denique maximum ſit operæ pretium, communes illas notitias ſeligere, & ſuo loco, tanquam veritates indubias, reponere. Quod certè hâc tempeſtate, (ſi unquam) neceſſarium; cum enim mortalibus, in ſummo iſto verborum diſcrimine, non jam è cathedrâ rationibus ſuadeatur, ſed ipsâ etiam reluctante conſcientiâ & ſenſu interno, terroribus quibuſdam ita extorqueatur fides, ut omnes extra Eccleſiam ſuam, ſive ignorantiæ, ſive erroris, ita rei ſint facti, ut nullâ vel morâ, vel quidem comperendinatione indultâ, damnationem, poſt hanc vitam, ſubeant æternam; non eſt quò fugiat miſera conſternatorum turba, niſi immota quædam veritatis fundamenta, ex conſenſu univerſali jaciantur, quæ in dubio quocunque ſive Theologicô, ſive Philoſophicô conſuli poſſint: Cùm enim legem id eſt notitias ſuas communes in ordinem redactas, poſtulent gentes univerſæ, illa autem varia à varijs Legiſlatoribus data ſit: Cùm denique inter leges ut aliquando diſſenſus, ita in aliquibus ſummus detur conſenſus, ſive religionem, ſiue ipſum jus civile & politicum ſpectes; conſenſum illum univerſalem, tanquam doctrinam inſtinctus naturalis & neceſſarium providentiæ divinæ univerſalis opus habemus: Mirum interea eſt, quantâ pertinaciâ, infirmus mortalis, vel totas doctorum amplectitur ſententias, vel totas reijcit, & dum nullo uti novit delectu, fide quâdam implicitâ, ſeipſum miſerè involvens, proprias impotens abnegat facultates, & cùm ad terrores deſpiciendos non ſit animo ſatis erecto, timet & odit: ſed neque omni ex parte veræ ſunt doctrinæ vulgares, neque omni ex parte falſæ; nulla enim unquam fuit tam barbara ſive Religio, ſive Philoſophia, cui ſua non ſtetit veritas: quę tamen ſi

errorum

errorum admiſtione, ut ſolet, conſpurcata fuerit, non aliter nitori ſuo reſtituenda eſt, quàm per ſeparationem, è methodo noſtrâ: ſi enim quæ vera, facultatem aliquam atteſtantem habent, quæ falſa habebunt nullam; ex mente igitur noſtrâ, conſenſus univerſalis, & prima, & ſumma Theologia, & Philoſophia habendus eſt: cui operi, mirè inſervit providentia illa divina, quæ quod prioribus ignotum fuit ſæculis, totum ita jam patefecit mundum, ut nihil ferè ſcitu dignum, latêre videatur: non ſolùm interea ex legibus, Religionibus, Philoſophijs, ſcriptorum denique monumentis quibuſcunque, conſenſum illum univerſalem eruimus, ſed & facultates aliquas internas, ex quibus veritates iſtæ conformantur, in nobis deſcribi volumus; inſanos interea mente captos, & impotentes illos animos mittimus, cuicunque ſive Eccleſiæ, ſive ſcholæ, ſive opinioni adhæreant. Neque heic igitur hereſi pãdimus viã, vel ſpiritui phanatico, nedum ſenſui particulari cujuſvis, veritates in univerſum requiſitas, commodè vindicari poſſe aſſeveramus; unicam veritatis normam, in neceſſarijs, facimus conſenſum iſtum univerſalem (qui ſine providentia divinâ non inſtituitur.) Hanc interea provinciam eò lubentius capeſcimus, quod, iſtis, Dei Opt. Max. cauſam agamus, qui notiones communes tanquam media providentiæ ſuæ divinæ univerſalis, nullo non ſeculo, regioni, homini impertivit; Si quod interea in earum diſcuſsione maneat dubium, vos (Lectores) obnixè rogamus, ut ſepoſitis timore & odio quocunque, communione piâ & dulci, ea quorum datur conſenſus univerſalis, ab ijs, quorum non datur, ſecernentes, non tam nomina (quæ ſi neglexerimus, magnum in ſapientia progreſſum faciemus) quam res ipſas reſpicientes, conſenſum illum univerſalem, tanquam veritatem indubiam amplectamini: neq; ſi hijſce vel illis verbis conventum non ſit, totam reijciatis ſententiam; ſed regreſſu ad aliquam ſimplicem propoſitionem

facto, (ſi ulterius non detur) in illo acquieſcatis; à luxuriante caventes diſcurſu, qui pejorem ignorantiâ errorem, paſsim obtrudit; nos enim intrepidè dicimus, omni ſæculo fuiſſe & eſſe homines, Eccleſias, Scholas nugivendulas, quæ ex hiſtorijs veriſimilibus, & diſcurſu neſcio quo putido, in ſubſequente aliquo ſæculo, impoſturas, & figmenta (etiam illepida, quibus tamen fidem adhiberi poſtulant) invexêre, quod certè ex methodo noſtra nunquam contigiſſet; Neque tandem vos in anguſtias cogi iſto pacto exiſtimetis, Deus enim & virtus ſunt communes notitiæ ubique: à quibus qui receſsit, niſi expiato ſcelere, ſalútem ſperare interdicitur: Reſtat ut nulla ſcripturientis ſive ignorantia, ſive ementita authoritas, vobis ſuggerat, Deum in neceſſarijs, vel ad hanc vitam, vel ad æternam, ullo ſæculo vel homini defuiſſe, vel quidem deeſſe poſſe; eſt enim providentia Divina univerſalis, ſupra omnem fida hiſtoriam; ſi non aliter igitur, in foro interiore, etiam ex revelatione, media ad ſalutem ceſsiſſe, exiſtimandum eſt: neque vos infantium ſive Embryonum ſtatus deterreat; Iſta enim, providentia Divina temperat, quæ juſto & pio, occulto & abdito licet judicio, de rebus decernit; quâ ex notitia communi, dubia quæcunque quæ circa rerum adminiſtrationem oriuntur, ſolvi poſſe, monemus; horum interea quæ ubivis gentium, vel creduntur, vel quidem jubentur (neque enim eſt, ſi te monitum habeat Deus, quod, ad media, ulterius deſideres) facultatem conformantem, inſtinctum naturalem facimus; qui ſi in elementis, mineralibus, plantis, brutis, uno eodémque modo juxta ſpecierum diverſitatem, æquales & unius modi ubique prodit actiones, cur non in nobis idem præſtiterit? nulla cùm ſit vel mage neceſſaria, vel mage ſalutaris conformitas, quàm illa quę inter nos & ſupremum illud Numen (omnium quę hic viſuntur cauſam, medium & finem) inſtituitur; Quodcunque igitur in omni homine,

uno eodemque modo ſe habet, malè intellecta ſi res vel verba demas, inſtinctui naturali acceptum referimus; in reliquis actionum libertas, & magna quidem varietas conſpicitur; Ex quibus patet, quæ neceſſariò in rebus adſunt, eſſe ſolummodò media, gratia enim facit ut illis fruamur; quod noſtrum interea exiſtimari poteſt, eſt arbitrij libertas, quæ ſi neceſſariò terminaretur ad media, noſtra eſſe deſineret; quatenus igitur in arbitrij libertatem provehuntur animantia, divina illis creditur facultas, & habent, quo ipſe Deus utitur medio; uti igitur poſt exiſtentiam motus, poſt motum vita, poſt vitam ſenſus, poſt ſenſum arbitrij libertas in homine, imò & in mundo datur; ita iſtis ſi rectè uſi fuerimus, quidni ulterius feramur? Hæc interim notitiarum communium, uti etiam reliquorum ſenſuum, eſt lex ſive fatum, ut, niſi ad objecta excitentur, ſileant: cùm tamen neque objecta facultatibus, vel vice verſâ, in neceſſarijs deeſſe poſſe exiſtimandum ſit, ideò ſive excitari, ſive elici dicas, ſibi ipſis ubique conſtare, ſtatuendum eſt; Hujuſmodi autem ſunt, nos quædam debere facere, quædam etiam non facere; quæ autem commendantur, ſunt; nos debere eſſe pios, & gratos in benefactores, maximè verò in Deum qui iſtorum prima eſt cauſſa; ſi interea ex ijs quædam quorum datur ex legibus, religionibus, &c. conſenſus univerſalis, etiam à ratione, aliena exiſtimari poſſint, in animo habe, proprium eſſe inſtinctus naturalis irrationaliter, hoc eſt ſine diſcurſu operari; ita enim elementa, mineralia, vegetabilia, quibus diſcurſus & ratio negari videtur, ad propriam ſapiunt conſervationem: Heic igitur vox illa communis veritatem ſuam obtinet, quę ex ijs quædam quę etiam ſupra humanum captum credenda docet; cùm enim ratio ſit quædam deductio notitiarum communium, in ſuam infimam latitudinem, non habet ultrà illas, quò provocet; ſunt igitur notitiæ communes, principia illa, contra quæ diſputare nefas, ſive ea pars

ſcientię,

ſcientię, quâ, ex ſua prima intentione, nos imbutos voluit natura; quæ ſi ab impuro opinionum cœtu vindicatæ, in methodum denique & ordinem componantur, ſpecimen aliquod ſapientiæ divinæ, in illis eluceſcere, non ſemel monuimus: ſunt autem omninò continuæ, ex quibus quæ maximè connectuntur, ſunt divinæ & morales; naturales enim paulò diſtare videntur; ſed & ipſæ naturales, niſi verba nos turbent, in unum cum reliquis optimè compingi poſſunt; ut ideò notitiarum communionem ordo & diſpoſitio ad pacis univerſæ complementum, imprimis facere videatur; iſta igitur ut præſtetis, quantum in vobis eſt, hortamur, donec magnum providentiæ divinæ univerſalis abſolvatur opus; Ne interea aliquid hâc in methodo deſideres, exemplum unum vel alterum ſubijciemus; Religio, eſt notitia communis, nulla enim ſine religione, natio, ſæculum: Videndum igitur eſt, quænam in Religione ex conſenſu univerſali ſint agnita: univerſa conferantur: quæ autem ab omnibus tanquam vera in Religione agnoſcuntur, communes notitiæ, habendæ ſunt; ſed dices eſſe laboris improbi, at alia ad veritates notitiarum communium non ſupereſt via, quas tamen, ita magni facimus, ut in illis ſolis ſapientiæ Divinæ univerſalis arcana deprehendi poſsint: Nihilo ſegnius, iſta adſecutus progrediêris. Inſuper, lex, eſt notitia communis; ijſdem paſsibus igitur inſiſte, & quæ ab omnibus comprobantur leges, tanquam ſanæ habendæ ſunt: ſed breviorem poſtulas methodum, hanc etiam dabo, intra facultates teipſum recipe, habebis Deum, virtutem, veritates univerſales, æternas; At totum ne illud inquies quod à prioribus decantatum ſæculis, tanquam dubiæ fidei habebimus? minimè gentium; imò fieri poſſe credendum, quodcunque attributis divinis eſt Analogum, & quod magis eſt cum gratiarum actione accipiendum; ſed cùm multa fieri poſſe, quæ revera non fiunt, communis ſit notitia, ſuſpenſo gradu

 incedendum,

incedendum, in ijs, quæ à narrantis authoritate pendent; At nullo inſuper bono noſtro, inquies traduntur, integra authorum volumina? immo maximo; notitias enim communes excitant; iſta igitur evolve, modo veritatem rei, cujus principium extra te, à veritate intellectus quæ à te ipſo proficiſcitur, veritates denique æternas, & univerſales, à particularibus, & ab ijs quæ ſunt ad tempus diſtinguas; hoc interea adverte, non multa ut affirmentur ex methodo noſtrâ, paucisſima tamen negari, ea nimirum ſola quæ rectæ rationi adverſantur, vel cum attributis divinis ex diametro pugnant; Ad definitionem inſtinctus naturalis accedimus; ubi præmittendum eſt, duplicem habere acceptionem, prout eſt facultas conformans, vel prout eſt ipſa conformitas in actum, id eſt in ſenſum deducta; Prout eſt facultas, ita eſt providentia Divinæ univerſalis inſtrumentum proximum, ejuſque pars aliqua in ipsâ mente ſignata, in ſecundâ verò acceptione.

INSTINCTVS *naturales ſunt actus facultatum illarum in omni homine ſano & integro exiſtentium, à quibus communes illæ notitiæ circa Analogiam rerum internam (cujus modi ſunt quæ circa cauſam, medium & finem rerum, bonum, malum, pulchrum, &c.) maximè ad individij, ſpeciei, generis, & univerſi conſervationem facientes, per ſe etiam ſine diſcurſu conformantur.*

QVIA deſunt nomina (verbum enim inſtingo, eſt obſoletum,) aliquando per inſtinctum naturalem innuimus facultatem conformantem, aliquando ipſam conformitatem in actum, id eſt in ſenſum deductam; qua acceptione ſub iſta definitione cadit: idem igitur heic denotant notitiæ communes, & inſtinctus naturales; de quibus ſuo ordine. Primò autem de inſtinctu naturali quatenus

tenus eſt facultas: Inſtinctus naturalis quatenus conformat non eſt ipſa mens, ſive anima per ſe: vel anima id eſt mens in relatione ſua ad corpus (ita enim à nobis accipiuntur,) ſed ejus emanatio proxima, ita naturæ dictanti contermina, ut ſubindè doctrinam propriæ conſervationis ſubminiſtret, adeò denique neceſſaria, ut nec morte tolli videatur, quæ enim facultates ſenſus præcedunt externos, puta tactum, guſtum, &c. & illis ſublatis, manere poſſe, quid vetat? Hujuſmodi autem ſunt facultates iſtæ, manent igitur poſt mortem, etiamſi autem & reliquæ manere poſsint, ab inſtinctu enim naturali expoſitæ, ad objecta explicantur; de hijs tamen dubitari poteſt; neque enim alia ſi maneant objecta, nobis fortaſſe, illis opus fuerit; ſapientiam enim Divinam univerſalem neque in neceſſarijs deficere, neque in ſupervacaneis redundare, ab experientia, & quidem ratione edocti ſumus; ideò homo (animal numeroſæ ſtructuræ) pluribus adornatur facultatibus: Talpa quia ſubterraneus fuit, vel viſu carere potuit: Zoophyta etiam reliquis, præter tactum, ſenſibus externis: Ideò juxta indigentiam, una facultas poſt aliam, gradatim ſeſe ad objecta explicat; quod non ſolùm in univerſo rerum ſyſtemate, ſed in ipſius denique hominis adoleſcentiâ obſervaſſe, permagni momenti arbitramur, quibus ſcientia Analogiæ rerum propoſita eſt: Quę igitur nobis connaſcuntur facultates, neque ex morte tolli, æquum eſt credere: Quidni igitur ad propriam conſervationem ex facultate iſtâ etiam ſapiens fuerit Homo poſt mortem? an verò in meliorem ſtatum provehi detur, à juſtitiâ illa æternâ pendet, quæ unicuique retribuet ſecundùm opera ſua; aliquam enim, qualiſcunque, vel quâcunque ex partę, fuerit, nos ſemper degere vitam, vel leges, vel Religiones, vel Philoſophiæ quæcunque docent, nos totos morte rapi, non paſſæ; cùm ſaltem ex intellectu agente, id eſt, facultatibus noſtris, ſuperſtites fuerimus. Quando igitur par-

tes corruptibiles ab incorruptibilibus, quod magnum & perpetuum opus naturæ facimus, ſeparantur; non jam facultates corrumpuntur, ſed organa: quod igitur corrumpitur, noſtrum non eſt; ſed quæ ex ſeminis maſſa, alimentis & ipſa corporea mole aſſumebantur peregrinæ partes & traduces; nonne durum enim quiddam, & ineptum foret, iſtam ſi exædificaverit fabricam mens noſtra, ſe feneſtras condituram undè proſpiceret, portam verò habituram, undè exiret, nullam, ſed propriæ ſtructuræ ruinâ opprimi? Haud mirum interea, aliqui ſi mortalem velint animam; de illa enim animæ parte, qua uſi ſunt, intelligendum eſt, ſenſibus nimirum corporeis, qui eâ ratione morti ſunt obnoxij, quâ noſtri eſſe deſierunt; ſed de hijs ſuo loco: ſatis fuerit, animæ immortalitatem ex ipſo ſenſu interno (modò non obſtruantur facultates) dictari poſſe; quam qui non ſentit, per me dubitare nihil vetabit; eóque magis, quod mortem primam vel ſecundam, tanquam peccati pœnam, minetur Religio quæcunque; *quæ* verò *qualis*, *quanta*, &c. hæc vita ſecunda, vel mors fuerit, ob defectum conditionum ad veritatis iſtius conformationem poſtulatarum, & quod nullus de iſtis exſtet conſenſus univerſalis, ſciri nequit: neque enim magis jam de futuris ſapimus, quàm in utero clauſi de iſtis, & certè ſimilitudo eò erit aptior, quod excelſo animo, ſcientiâ prædito omnifariâ, adeò anguſtus, exilis, humilis, videatur iſte objectorum mundus, ac uterus Embryoni. Vt pereant igitur objecta externa, ut pereant facultates externæ, unitas noſtra exui ſi nequeat (quod dubitare impium) fidus aſſecla manebit facultas iſta, inſtinctus naturalis, novas facultates ad objecta nova explicaturus: qui ſi in quovis, inarticulato licet, & incauto elemento, ſapiens fuerit ad propriam conſervationem, & tutum, & jucundum (modò abſint ſcelera,) reddere poſsint hominem.

Hæc autem, de inſtinctu naturali, prout eſt facultas, dicta ſunto;

ſunto; Secundâ igitur acceptione, Inſtinctus naturalis eſt actus alicujus conformitatis, ſive conformitas aliqua in actum deducta; quâ ratione, eôdem recidit cum notitia communi; & tanquam ipſius Naturæ dos, ſive Beatitudo quædam haberi debet; quæ etſi hominem latere poſſit, quatenus nondum explicatur; ſi tamen ab objectis, vel rerum, vel verborum, vel quidem ſignorum excitata fuerit, communem notitiam futuram exiſtimandum eſt: oportet interea ut homo ſit ſanus & integer, quia cerebroſi, væcordes, excordes, & ipſi demum futuri ſocordes, hâc in vitâ, occulto Dei judicio, parum, vel nihil, iſtâ ex facultate juvantur; etiamſi vires quaſdam internas, ad ſui conſervationem, aliquando etiam ad externarum inuriarum præcautionem, admirandas deliteſcere, in ipſo inſano, ebrio, infante, &c. obſervare liceat; ut idcircò ex toto nunquam deſint facultates iſtæ.

Communes notitiæ, veteribus κοῖναι ἔννοιαι, fuerunt principia illa ſacroſancta, cōtra quę diſputare nefas, ad quę proximè acceſſere fundamenta rata, ea ſcilicet quę ut primâ fronte, vera viſa fuerint, examen tamen paſſa ſunt; quo pacto aliquid à diſcurſu adjectum fuiſſe exiſtimandum eſt; quibus ultimo in loco experimenta, ſive concluſiones ſubjungebantur. Primas igitur partes obtinuere (cujuſmodi in omni diſceptatione, quædam eſſe exiſtimandum eſt) quæ nullâ hæſitatione excipiebantur; ſecundas verò, quæ duriuſcula fortaſſe in ſeipſis, vel fortaſſe ex deductione aliqua præpoſterâ, vel ex opinionibus falſis præconceptis, fortaſſe etiam ex rebus, vel verbis, vel ſignis malè intellectis, fortaſſe etiam ex pluribus horum, videbantur; Ita ut tertio loco ſubſecuta ſint, experimenta & concluſiones, quæ vel induſtria practica invenit, vel quidem ſors obtulit; ex quibus ars quædam confecta eſt, nullis, niſi quas experientia dedit, regulis obnoxia: Vocantur autem notitiæ communes, quia in omni

homine

homine ſano & integro, modò objecta ſive rerum, ſive verborum, ſive ſignorum conſtent; ad objecta enim excitari notitias communes, ipſe ſenſus, quem ubique ad teſtimonium (ubi fieri potuit) adducimus, docet: Neque igitur cum objectis ipſis invehi, vel delirus quiſpiam exiſtimaret unquam: Reſtat ut in nobis à natura deſcribantur, & ut iſtâ lege, explicentur, (quæ aliter in nobis ſilere poſſunt) notitię communes; ut interea non ſolùm imaginis, ſed & Sapientiæ ſuæ Divinæ ſpecimen aliquod, & partem nobis impertijſſe credatur Deus Opt. Max. Totæ igitur notitiæ communes, ut in totum illud bonum commune intendantur, quaſdam ipſum Creatorem ſapere, auſim dicere: Magis interea communes in ſpecie noſtrâ vocamus, quæ cùm omni homini ſint communes, ex omni objecto elici poſſunt, ut eſſe aliquam primam rerum cauſam, medium, & ultimum finem, dari quendam rerum ordinem, quoſdam gradus, etiam & viciſſitudines, &c. Maximè communes ut ſint, quæ cùm omni homini ſint communes, & maximè extra noſtram ſpeciem ſint communes, ut ratio propriæ conſervationis, appetitus beatitudinis, &c. ut minus communes ſint, quorum objecta ſunt æquivoca, dubia; ita ut minimè communes ſint, quæ errorum anticipatione obſtructæ, vel objecta obtinentes raro conformata, ideò dici nequeunt communes, quoniam conditiones defuêre, quæ ad veritatum noſtrarum conformationem poſtulantur; neque igitur communes dicimus notitias iſtas, quia velint, nolint, in omni homine explicantur, ſed ideò communes eſſe perhibemus, quia, niſi ipſi præcludamus viam, communes futuræ ſunt; inter communes igitur, illæ primum obtinent locum, quæ ex omni objecto, nullâ interpoſitâ morâ, conformantur; quæ enim ſegnius deprehendimus, non ſine diſcurſus miniſterio perficiuntur. Nunquam ſatis intereà hortari poſſumus lectorem noſtrum, ut ex conſenſu univerſali, communia

nia illa principia, quorum numerus eſt definitus, imò exiguus, (quod nos certò exploratum habemus) ſeligant, ſeponant, in ordinem denique digerant, & tanquam providentiæ Divinę univerſalis idæam & Typum optimum habeant; Neque obſtare debent, diverſa verborum in linguis diverſis ſignificata, vel variæ loquendi formulæ, haſce enim difficultates ſuperare & poteſt & debet ingenuus veritatis amor: Heic autem obſervatu dignum eſt, pluribus aliquando explicari verbis, quod tanquam unum aliquod ab intellectu accipitur; aliquando etiam, quod ab intellectu in plures, ex ſermone vulgari, ſecatur partes, in unum aliquod contrahi verbum; ne igitur vos vexent iſta, à ſermone ad ſenſum internum provocate; interea maximè advertendum eſt, tria in omni propoſitione ſpectari, ſubjectum, prædicatum & copulam; ex quibus copula ſemper eſt idem verbum, *eſt*, (*non eſt* enim, ad, *eſt*, reduci poteſt, & debet.) Per verbum *eſt*, igitur, ſubjectum & prædicatum ſemper connectuntur, in quæſtione *quando*, ſub ratione temporis præſentis, præteriti vel futuri; Exemplum ſubjiciemus, nos debemus eſſe fortes, vel non debemus eſſe timidi, idem enim ſonant: Nos debemus, hîc igitur idem denotat, quod nos ſumus debentes: veritas igitur prima hujus propoſitionis eſt, nos quædam debere facere: quædam etiam non facere: in propoſitionibus enim conjugationes quæcunque, ad verbum *eſt*, operosè licet, in quæſtione. *Quando* reduci poſſunt; inter illa igitur quæ facere debemus, recenſetur, nos debere eſſe fortes; habent igitur iſta, facultates ſuas conformantes, ſed progreditur intellectus, & docet fortem debere eſſe juſtum, habebit igitur notitia iſta communis, facultatem ſuam conformantem à priore diſtinctam, ſed neque heic ſiſtit intellectus, ſed dicit, fortem, juſtum debere eſſe ſapientem, temperantem, &c. aliæ igitur communes notitiæ, alij denique ſenſus, ſive fides novæ, novarum facultatum confor-

mantium indices inſurgunt. In hijs igitur *nos*, ſubjectum; *fortes*, *juſtos*, &c. prædicatum; copula, *eſt*, ubique ſtatuitur, per quam, denuò, inter ſe conformantur notitiæ iſtæ communes: Conformitates enim crebrò conformari, & in unum aliquod coaleſcere poſſunt; ſed de hijs, in Zeteticis noſtris, ubi ſapientiæ humanæ termini & metæ deſignantur: ut interea communes iſtas notitias ex auctorum ſive ſcriptis, ſive ſermonibus eruere poſsis, poſt propoſitionem quamcunque ſeorſim expenſam, in quâ quæſtione prædicetur, putâ *quid*, *quale*, *quantum*, &c. vel per ſe, vel prout complicantur advertendum eſt, deindè quæ facultates reſpondeant; ubi imprimis cavendum, ne quæ ex ſenſu, ſive externo, ſive interno probationes adferri debent, per diſcurſum deducantur; ſunt enim in objectis ſuis ſenſus, ſive externi, ſive interni teſtes ſummi; Conditiones denique expendendæ ſunt, ut legitima fiat conformatio: Hiſce inſtructus, quis detur ſenſus in omni propoſitione, & quæ ſit ejus veritas, ſcilicet à quâ facultate pendeat, explorandum eſt: Quando igitur (quod ubique adnotandum) gratè & lubenter accipitur doctrina quæcunque, & ultrò datur adſenſus internus, aliquam notitiam communem, quam facultas ſua Analoga conformavit, ſubeſſe ſcito: Harmonicè enim reſpondere facultates objectis, non ſemel adnotavimus: Hanc igitur antequam progrediaris erue, digere, & in uſum ſepone. Pari modo ſi ingratus datur ſenſus & moleſtus, videndum cum quâ communi notitiâ pugnat, quam etiam extricare & ſibi vindicare, tanquam operæ pretium conſulimus; ultimò, ut nihil deſit, in dubio & ancipiti ſenſu quocunque, videndum, ex qua facultate, objectum conformaveris; neque enim à ſenſu interno, externo vel diſcurſu objecta quæcunque, promiſcuè conformantur, ſed ſuis proprijs objectis, ſinguli reſpondent; quod quia non advertunt ſcholæ, paſsim ineptiunt: videndum igitur an perperàm tranſpoſueris facultatem

cultatem aliquam, an verò objectum ſit indebitum, vel ſaltem an in defectum conditionum reijci debeant, in quibus hæres; qua ratione, omni ex doctrina, Analogas tuas veritates erues, ſi ulterius interea non detur, in ſimplici aliquâ, eâque maximè in controversâ propoſitione acquieſcas; neq; illam parvi ducas, ſuo ut ſtare feceris ordine; quandoquidem interea quædam facultates circa præſentia, quædam circa præterita, quædam etiam circa futura verſantur, omninò diſquirendum eſt quænam harum conformantur. evenit enim, ut ſi præterita pro præſentibus vel futuris, vel vice verſa in alternâ harum complicatione accipias, totæ ut turbentur & è loco moveantur facultates; Aliquando igitur quod tantum poſsibile eſt, & tertio alicui convenit, in te ſenſum obducet gratum, & tanquam præſens aliquod ex anticipatione afficiet: aliquando etiam quod præteritum eſt, tanquàm futurum aliquod conijcietur, aliquando etiam & præſentia inter iſta irrepere ſolent; Quando interea ex re natâ, talis in foro interiore excitatur ſenſus, ut nunquam ita non eſſe debuiſſe exiſtimandum ſit, æternæ veritates conformantur: longè igitur ab iſtis veritates caducæ, craſſę denique & corporeę illę titillationes, quas cum brutis communes obtinemus, ablegantur, quas non ſine nauſeâ & faſtidio experti ſumus; Habent enim corporei ſenſus in nobis ęquè ac in beſtijs ſuas facultates conformantes, ſed quę ex modô conformationis & ipſo ſenſu, ſatis à Divinis noeticis diſtinguuntur; in hoc interea navabis operam, ut verum ęternum quod ſemper pręſens & parabile, à prętèrito, ſive veriſimili, à futuro denique ſive poſsibili, diſtinguas: Neque igitur, cùm tibi fauſta precantur neceſſarij, qui excitatur, ſenſus gratus, aliter conformatur, quàm ex facultatibus illis, quę circa propriam conſervationem, & quæ amicitiâ gaudet; quædam denique non aliter moleſta ſunt, quàm quod corpus lædere poſsint; in hijs igitur, nullæ præterea

communes notitiæ ſubſunt : cùm denique notitiam aliquam communem conformaveris, videndum eſt, an non ex priori aliquâ pendeat; ſi igitur,(quam ubique ad examen adducimus,) propoſitionem iſtam acceperis, Homo eſt animal; diſquirendum eſt, undè veritas hujus propoſitionis, quâ ratione ad notitiam *illam* communem deveniendum eſt, quæ, Ea quæ eodem modo afficiunt facultates noſtras, eadem quo ad nos, eſſe docet; alia igitur veritas propoſitionis iſtius non ſupereſt; Hujus denique veritatem ſi petas, à naturâ eſſe, & tanquam doctrinam inſtinctus naturalis haberi debere, reſpondendum eſt; ultimò obſervare licet, quò magis altæ & neceſſariæ fuerint veritates, eò majorem erroris miſturam obtinere poſſe: ideò nullum, non in cultum Divinum, irrepſiſſe errorem & abſurditatem ſæpè adnotavimus, peſsimi ijdem olim & ſacerrimi ut fuerint.

Plura de iſtis dicenda ſuperſunt, ſed quia totus liber de notitijs communibus imprimis agit, quæ ſparſim diſſeminavimus in meſſem colligenda ſunt: vos intereà non morari debet, quod quô modô eliciantur notitiæ iſtę communes, neſciatis, ſatis ſuperque diximus vos neſcire, quomodo fiat guſtus, odoratus, tactus, quos tamen, etiam inviti, non rarò experti eſtis; quæ igitur ijſdem indicijs manifeſta, ab omnibus uno eodemque modo accipiuntur, tanquam communes notitiæ habenda ſunt; ut non ſit quod ſolus dubitet quiſpiam; ſi tamen iſta principia negare, pertinaci & refractario volupe ſit animo, memento te obturare aures, occludere oculos, & totum etiam hominem (modò lubeat) exuere poſſe, ultra media denique non ferri providentiam Divinam univerſalem; Sequitur ut diſtinguamus, quæ ad utramque Analogiam attinent; quâ in re præmittendum eſt, quodcunque uno eodemque modo, ſe habet in omnibus, ab inſtinctu naturali ortum ducere; Sive igitur Elementorum, vegetabilium, animalium, ſive demùm ipſius intellectus,

lectus, & voluntatis humanæ actiones ſpectes, nunquam decoquet fidem Axioma iſtud; Maximè tamen circa Analogiam rerum internam (utpotè quæ ſit cumprimis neceſſaria) verſatur facultas iſta; Quemadmodum igitur in dubio quocunque, non habent ultrà notitias communes quò prævocent facultates noſtræ diſcurrentes; ita quidem quæ poſt externas ſpecies ſuſceptas, de objectis, ſub ratione convenientiæ eorum vel diſconvenientiæ, judicant, ab inſtinctu naturali, (undè enim prætereà) ortum ducunt: cùm igitur aliud ſit ſpecies ſub conditionibus proprijs ſuſcipere, aliud de ſuſceptis judicare, ſatis inter ſe facultates iſtæ diſtinguuntur; quæ igitur ſunt conformia ſenſibus externis, non ſunt ſemper conformia ſenſibus internis, & vice verſâ: neque enim quod dulce, ſemper eſt ſanum, vel quod ſanum, dulce; variè igitur facultates iſtæ objectis ſuis reſpondent; quapropter Authores, notitias illas, ex quibus rerum convenientiæ, ſive diſconvenientiæ nobis indicantur, ſpecies inſenſatas, vocabulo ſatis barbaro appellârunt; cùm enim originem ſuam, naturæ dictanti adſcribere ſint veriti, inſenſatas, ſatis inſipidè, nuncuparunt, reliqua neſcio cui diſcurſui vindicantes; ſed nos intrepidè eas quaſcunque actiones quæ neque ab objectis externis, neque ab Humoribus internis proveniunt, principijs ſive notitijs illis menti inſitis acceptas referimus; ſi igitur quod externum eſt, advertis, quod ſupereſt, erit tuum; Hoc ſi intelligis, Divinum quiddam adſequêris, vel ut clarior fiat ſermo, quod tecum ad objecta ducis, dos naturæ eſt profectitia, & doctrina inſtinctus naturalis; totum autem illud quod verum à falſo, in Analogia rerum externâ, ſive bonum à malo in Analogiâ ſyſtematis humani internâ, diſcriminat; hujus eſt cenſus: quemadmodum igitur, ex maximè receptâ ſententiâ, facultates quæ vident, audiunt, amant, ſperant, &c. nobis ut connaſcantur, (objecta ſua cognata ſi deſint) ſilent, & qui-

dem deliteſcunt, nullo ſeſe indicio prodentes: ita quidem de notitijs communibus, quæ adeò non ſunt experimenta, ut nihil ſine illis verè experiri queamus, exiſtimandum eſt. Apage igitur iſtos qui mentem noſtram, tabulam raſam, ſiue abraſam eſſe prædicant, quaſi ab objectis haberemus, ut in illa denuò agere poſsimus; liber igitur ut ſit clauſus ſeſe non niſi ad objecta explicans, (quod ipſe ſenſus judex in objectis ſuis ſupremus docet) tabula raſa non ſine injuria dicitur: nobis enim dediſſe, ut audire, videre, ſperare, amare, intra noſtram ſtaret arbitrij libertatem, niſi *quid*, *quale*, *quantum*, &c. audiendum, videndum, ſperandum, amandum eſſet, ex inſtinctu naturali edocti fuerimus, & incongruum, & indignum providentiâ Divinâ univerſali, omninò foret. circa iſta igitur notitiæ quædam communes ſubſunt, quibus ſi errores & figmenta admiſceantur, ad ſeparationem per quæſtiones noſtras deveniendum eſt: nulla enim facultas ſuâ notitiâ communi ex qua objectum, & conditiones, & cauſæ demùm errorum inveſtigari poſſunt, deſtituitur: Haſce igitur ſi comparas, & in aciem componis, illa ipſa media, quibus providentia Divina univerſalis utitur, perſpecta habebis, primas modò illis deferas partes, quę Analogiam inter Deum & Hominem ſpectant: Ideò ſi notitia ſit communis, naturam nihil facere fruſtrà; cogita naturam dicentem ipſa nihil facio fruſtrà: ſi notitia ſit communis. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris; cogita exindè univerſum hoc adminiſtrari, atque ita in omnibus ſi verborum noſtrorum ſenſum adſecutus fueris, ſtatuere licebit, modò ad ſobrietatem ſapias & Deum iſtis adijcere, vel quidem ab illis detrahere poſſe pro benè placito ſuo, ubique advertas. Quę interea non ſint notitiæ communes, quàm quæ ſint, longè faciliùs explorare poſſumus, hęc in nobis à natura ut ſint inſitæ, illæ autem adventitiæ & peregrinæ, quod diſcurſui pręcipiti & temerariæ illi credulitati tribuimus, quæ à munere

proprio

proprio deficientes, (ut notitias communes in ſuam infimam latitudinem deducant) ex inſanis commentis: (dum hanc notitiam communem explicare videntur) faciunt, ut plurimum, ut cum illâ pugnet, & in ſolennem illam notitiam communem, quæ contraria ſimul vera non eſſe docet, peccetur: quo pacto, vel fidem ipſis naturæ veritatibus adimunt, ſua ut figmenta adſtruant, vel ſaltem ſuis ineptijs veritates receptas ita condiunt, ut primam veritatem minimè ſapiant. Notitias interea communes quæ ſubſunt, & molem illam errorum ſuſtinent, eruere, & ſuam in eutaxiam componere, etiam labore improbo, tanquam operæ pretium, non ſemel conſulimus; nihil enim illis ritè diſpoſitis pulchrius, vel cogitari poteſt; ſi quæ interea maneant, dubia, notitiæ communes in ſubſidium compellandæ ſunt, ut quæ ſolæ, iſta enodare queant. Quod difficillimum interea in rebus occurrit, eſt objectum debitum, quando ex foro interiori deſumitur; etiamſi enim, quando juſtum datur objectum, Analoga ſua facultas in nobis etiam ad fidem, ſive adſenſum illum internum reſpondet, quod dubium, adſenſum, varium & ancipitem; quod falſum, obtinebit nullum. In hiſce igitur, partes expendendæ ſunt, quo pacto quædam malè inter ſe committi comperies; in objecto enim ſuo non magis falſus eſſe poteſt intellectus noſter, quàm in ſuo (cui credis) externus ſenſus; vel igitur in objectum indebitum, vel in conditiones, (quibus objecta ritè conformantur) errores reijciendi ſunt; qua ratione terminos mutare nihil vetat, donec verum illud objectum inſurgat, quod ſine aliqua hæſitatione excipi comperies; quàm acuto interea & accenſo (ut aiunt) ſenſu opus fuerit, ſatis patet; maximè verò in ijs, ubi artificio miro, vera & falſa inter ſe committi ſolent, & in quibus dubium reſpondere ſenſum, ſuprà adnotavimus. Quomodo interea quod verum ſubeſt, ex iſtiuſmodi opinionibus elici poſſit, Zetetica noſtra conſulenda

ſilenda ſunt; Reſtat, ut, cauſſam undè etiam in erroribus ſibi complaceant plurimi, explicemus; qua in re ſciendum eſt, errorem quemcunque veritatis Baſi, ſive fundamento alicui inniti, & proindè involutum illum & ambiguum ſenſum, etiam invitâ contumaciâ, obtinere: quod intereà adeò mordicùs, ſuas tueantur opiniones, in abuſum notitiæ illius communis reijciendum eſt, quæ poſt accuratam rerum diſquiſitionem nos in aliquam ſententiam venire, & in illâ acquieſcere jubet; interim vel in objecto, vel conditionibus peccatum fuiſſe, & vel moram defuiſſe debitam, vel totas facultates diſquirentes (de quibus in Zeteticis noſtris) in examen non productas fuiſſe, &c. exiſtimandum eſt: aliquo igitur ſcrupulo ſeſe intus vexari ſentiet, quamvis præ ſe ferat frontem, miſer.

Quæ interea ab inſtinctu naturali, notitiæ communes, à ſeipſis fidem vindicant, ut non ſit, quod ſenſus externos ad probationem poſtules, qui ultra cortices, & rerum putamina non delati, interiora non penetrant; ſatis eſt, iſta ex internis ſenſibus probari poſſe: prout igitur turpe eſſet cibum in aures ingerere, ita flagitioſum quiddam foret, ſenſum externum ad ea quæ ſunt inſtinctus naturalis poſtulare; neque enim ſenſus externus vel primam cauſam pertingit vel ullam, quam tamen eſſe nemo ſanus dubitavit unquam: ne interea quæ in immenſis illis Authorum voluminibus opiniones, te moleſtum habeant, communes notitias, vel conſenſum univerſalem ex illis exantlare conſulimus; quas ſi deniq́ue in ſuam compoſueris ordinem, undè in reliquorum judicium venias, authoritate eximiâ donaberis, & nullo non ex libro inſtructior, proſilies: ipſam denique conſcientiam teſtimonium perhibentem habebis; obijcientibus autem, quid novi ex doctrina iſta notitiarum communium, adferam, reſpondeo, certitudinem in rebus etiam Mathematicam; omnia enim è principijs ſuis ita probantur, ut quæ

ritè deducta, æqualem promereantur fidem; æquè enim verus erit ignis è lapide eliſus, ac ipſe lapis; cæterum nos pervicacis & perfrictæ frontis homines, ad veriſimilia & figmenta ſua dimittimus, an ad eorum fidem adſtruendam, inſtinctum naturalem dari velint, poſtulantes.

Maximè interea ad individui, ſpeciei, generis, & univerſi conſervationem faciunt: Niſi enim ex communi illâ ſapientiâ naturæ, lex intus rogata, mutuum rerum vetaret interitum, in ſe, alternis vicibus, ita ſævirent omnia, ut nihil non ſubitò periret: ſed quia à propriâ conſervatione communis rerum ſalus ubique pendêre videtur, particularis illa, (quæ in omni animante) providentia naturæ, ab individuis incipiens, deindè id ſpeciem & genus ſe diffundens, de remotis ſe minùs ſollicitum habet; iiſdem gradibus remeans, quibus ad nos pervenit providentia Divina univerſalis; quæ maximam univerſi, proximam generis, remotam ſpeciei, ultimam denique individui curam gerere videtur. Ideò quæ nos ſervant, ſervantur: ideò ſibi mutuò cedunt natura & gratia, prout earum alterutrâ, in univerſi iſtius adminiſtratione opus fuerit; ſuperior tamen inferiorem ut plurimum conformat naturam, Periodi licet, in aliquibus, citius abſolvantur: ideò quia in homine reliqua animantia perfici voluit Deus, facultates ad virtutem & religionem, ultra communes, indidit. Ideò denique providentiæ univerſalis, ſive naturæ, & particularis, ſive gratiæ, ſumma quædam providentia datur, utramque temperans: undè hæc, quæ ultra media non fertur, & illa quæ facit ut illis etiam fruamur, inter ſe conciliantur, & utrique ſua ſtat dignitas. Indè ultra Analogiam illam, inter Deum & hominem, ad quam nemo non ſponte, aliquo ſaltem ſub cultu, rapitur, in Analogia illa rerum inter ſe, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, intus deſcripta notione interdiceris. Impiè igitur à quibuſdam factum, qui naturam ſive providentiam rerum

univerſalem ſuis blaſphemijs impetunt, illam penitùs corruptam, depravatã prędicantes, à cujus bonitate habēt, ut illam adeò impunè convitiari poſsint; ſed dicunt ſe gratiam iſto pacto exaltare; reſpondemus, gratia iſta ſi ſit univerſalis, partem eſſe providentiæ illius communis, ſin verò particularem eſſe contendunt, remedia malis paria nondum invenere, ſed univerſalem tollunt, particularem ſuam ut commendent gratiam; quam tamen ita conſilijs, occultis judicijs, & prædeſtinationibus involvunt, ut niſi ab æterno, eoque ex benè placito, petatur ſalus decreto, fruſtrà, ab ipsâ fide, oratione, & totis quæ gratiam ſive providentiam particularem provocant facultatibus, implorabitur: videant igitur, annon dum illam adſtruere aggrediuntur, utramque labefactent, & neque naturæ, neque gratiæ, ſed fato cuidam Stoico totum ſalutis myſterium tributum ſit; quo certè quicquid in adverſam partem dicunt, recidit, quodcunque, iſtâ ex ſententiâ, adſtrui ſolet; ſed aliter ſe res habet, & ſi faciat, quod in ſe eſt homo, illi non defuturam gratiam iſtam ſalutarem, exiſtimandum eſt; ubi enim deſinit providentia humana, incipit Divina: Injuſtè igitur de natura ſua queritur Humanum genus: Habere enim omnes (mediante providentiâ Divinâ) undè Deo accepti eſſe poſsint, æquum eſt credere: Sequitur definitio noſtra, & *per ſe etiam ſine diſcurſu, notitias iſtas communes conformari docet*. Non diffitemur interea plurimas dari veritates, quæ non ſine diſcurſus miniſterio perficiuntur, ſed, hujus cenſus, notitias communes, in ſecundam claſſem reijcimus; Etiamſi igitur diſcurſus ſemper circa eadem verſetur, maximè tamen diſtant facultates iſtæ, adeò ut vaſtâ intercapedine, Inſtinctus naturalis, prima in homine, & in univerſo, diſcurſus ultima ſit facultatum, totis ſenſibus ſive internis, ſive externis intercedentibus. Maximè igitur diſtinguuntur facultates iſtæ, etiamſi non ignorem illos qui omnia ex diſcurſu neſcio quo futili, adſtruunt,

adſtruunt, aliter ſentire; Sed nos totum illud quod rationem rectam, ſive intellectionem, ſive intellectum vocant Scholæ, nihil aliud eſſe dicimus, quàm deductionem alicujus principij, ſive notitiæ communis, in ſuam infimam latitudinem, per quæſtiones noſtras: quæ interea ab experientiâ deducuntur concluſiones, hiſce addi poſſunt, uti quæ rerum ſcientiam integrant; eâ lege, ut ea de quibus inter omnes homines conventum eſt, ad doctrinam Inſtinctus naturalis tanquam poſtliminio revocentur; hæc igitur meta & terminus facultatum diſcurrentium poni debet, ut poſt examen ſolitum ad proprium principium regreſsi, in illo acquieſcant; maximè interea à contradictionibus cavendum, in quas miſera ſemidoctorum caterva paſsim impingit; neque enim hæc notitia communis tanquam rectè deducta exiſtimanda eſt, ſi cum illâ pugnat. Quemadmodum igitur humani corporis compagem, neque membra quædam, cæteris omiſsis, neque quidem omnia, citra debitam diarthroſin, conſtituunt; ita omninò, pulcherrimum veritatis ſyſtema, neque à ſingulis, neque quidem ab univerſis notitijs communibus, niſi in ſuam adaptentur ſeriem, abſolvitur. Quam optem igitur communia iſta principia à conſenſu univerſali firmari, ſanciri, & in ſuum denique ordinem digeri, tandem ut nullus mortalium imponeret, & haberet credula mortalitas, in omni dubio, quo confugeret; Certè fruſtrà è ſuggeſtis concionatores celeberrimi, olim miracula decantarent ſua, niſi veraces in causâ primâ, ſcilicet Deo, in fine ſcilicet præmio & pœnâ, in medijs ſcilicet, virtute vel vitio, facultatibus Analogis ubique reſpondentibus, deprehenderentur; heic igitur communes notitiæ ſternunt viam, quibus ſi falſa & particularia admiſcent, ad examen illud deveniendum eſt, ex quâ facultate probant; quo pacto quod attributis Divinis Analogum, omni ſæculo, piè credi poteſt; cunctæ igitur veritates à probâ facultatum conformatione

petendæ ſunt, qui enim cum objectis incognatis, illas conformat, deformat, & quidem perſonatas exhibet; ut interim notitias communes, quæ ab inſtinctu naturali per ſe, ab ijs quæ non ſine diſcurſus miniſterio conformantur, eas ſcilicet quæ ſunt primæ claſsis, ab illis quæ ad ſecundam ſpectant, diſtinguamus, ſex notis ſive differentijs rem expediemus; *Primò* igitur diſtinguuntur ex prioritate. Inſtinctus enim naturalis prima, diſcurſus ultima eſt facultatum. Ideò in Elementis Zoophytis, &c. & in ipſo demum Embryone, propriam conſervationem procurat facultas iſta, quæ gradatim deinceps ſeſe ad objecta explicans, notiones diſcurſus ubique anticipat; ideò in domo ſecundùm regulas Architectonicas extructâ, pulchrum ſymmetriæ prius ab inſtinctu naturali percipitur, quàm ipſa ratio, quæ ex proportionibus partium, & inter ſe & ad totum, operosè, neque tamen ſine auxilio notitiarum communium, perficitur; quod in venuſtate faciei, formæ elegantia, concentu harmoniæ, &c. ſatis conſtat: neque enim vel Mathematicus vel Muſicus, unuſquiſque ex fæce populi, quibus iſta placent, perhibetur. *Secundò* ex independentia, ſi enim ab aliqua notitia communi pendet, non jam primæ vel ſecundæ claſsis, (vera ut fuerit,) habenda eſt, quando igitur ulterior non datur quò regrediamur, notitia communis, primas tenere partes exiſtimandum eſt, à quâ idcircò tota probationis ſeries deducenda eſt. *Tertiò* ex univerſalitate, ſummam igitur inſtinctus naturalis legem facimus (inſanos ſi demas & mente captos) conſenſum univerſalem; particularia enim tanquam ſuſpecta, & impoſturam olentia, vel ſaltem tanquam erroribus diluta, habuimus ſemper; per ſe denique notitiæ communes (tanquam ex ipsâ naturę ſapientiâ depromptæ) ſunt univerſales, ex diſcurſu licet in particularia devolvantur. *Quartò*, ex certitudine, ita enim authoritate eximia pollent, ut qui illas in dubium verterit, ita totam rerum turbaret naturam,

ram, ut ipſum hominem quodammodo exueret; nefas igitur contra iſta principia diſputare, quæ quidem ſi intelligis, negare nequis; rectè enim dicitur intellectum principijs, voluntatem fini per ſe adſentire. *Quintò*, ex neceſsitate, nulla enim notitia communis, non facit ad hominis conſervationem; ſunt denique adeò myſteriorum fœcundæ, ut ſi in ordinem compingantur, ipſius ſapientiæ æternæ univerſalis, ſpecimen illud deprehendi poteſt, cujus nulla præterea in nobis, vel quidem extra nos, præclara idæa datur; ideò conſilio proprio regimur, & in arbitrij libertatem ita ſeſe diſponit fatum, ut ſi in inſipiente ſolus ſapiat Deus, in ſapiente uterque; haſce igitur diſpone, neque à teipſo recedens, temerario feraris diſcurſu, quaſi ultra teipſum ſtarent iſta, ſed ad teipſum regrediens, ijſdem gradibus remea, quibus ad te pervenit ſapientiſsimus rerum Conditor. *Sextò*, ex modo conformationis, nulla enim interpoſitâ morâ conformantur (modo vel rerum vel verborum ſenſum adſequaris) notitiæ communes; diſcurſus verò, lentè & per ſpecies, & quæſtiones ſuas operatur, ita in infinitum progrediens & regrediens, ut neq; ipſum cõpatiatur ſenſum; indè errores ſcholarũ innumerę, dum qualitates aliquãdo Elementis ipſo invito & reluctante ſenſu, ex diſcurſu tribuunt, non advertentes injuſtè quæ ſunt ſenſus, diſcurſui, vel vice verſâ vindicari, & unicuique facultati ſuam latitudinem obtigiſſe, ultra quam vel inepta fuerit vel nulla; Animadverſione interea dignum eſt, ea quæ ſunt inſtinctus naturalis, etiam ex falsâ hypotheſi ſuaderi poſſe; fidem enim per ſe obtinent; ideò cultus Dei etiam ex mendoſâ religione urgeri poteſt; quod ſphalma quidem diſcurſui tribuimus, neque enim hijſce opus habet vera Religio; non ſolùm igitur ex *prioritate, independentiâ, univerſalitate, certitudine & neceſsitate, ſed etiam ex modo conformationis,* veritates inſtinctus naturalis, à veritatibus diſcurſus diſtinguuntur: ut ideò niſi termi-

num ponat inſtinctus naturalis, ita ſpecies & dubia exagitabit ſua, ut nullibi conſiſtat, diſcurſus anceps : iniquè igitur ab Archiatro factum, qui ut doctrinam illam ſacram, quæ ſupra rationem, convelleret, rationem, id eſt aliquod inferius, ad eorum probationem quæ ſunt inſtinctus naturalis depoſcebat; omnes igitur ubi iſtæ veritates inſtinctus naturalis ſignaturæ conſpirant, interpellare nefas eſto; Si intereà quænam ſint illæ notitiæ communes petas. Reſpondemus. communes ut ſint, in te exiſtere oportet; quæ igitur informes, indigeſtæ & erroribus admiſtæ notitiæ communes in te, latent, ſi per examen noſtrum ex quâ facultate probas, ſepares, & in ordinem denique componas, illud ipſum quod labore immenſo, è legibus, religionibus, ſapientiorum denique libris univerſis congeſsiſſe profitemur, adſequêris; nimis doctum interea omne ferè ſæculum, regionem, hominem, comperimus, ſive Græcum, ſive Barbarum, ſive prius, ſive quidem poſterius fuerit : Indè ultra veritatem (ſcilicet probam facultatum conformationem) potiùs quàm citra illam ſtetiſſe in communi poſitum eſt more. Habes interea Lector duplicem Methodum undè notitias iſtas communes inveſtigare poſsis. Haſce igitur nactus orna, atque ita diſpone, ut unicuique ſua tribuatur dignitas & ordo; quod certè adeò non moleſtum comperies, ut miro quodam gaudio perfuſus, intus Harmonicè reſpondentes facultates (undè conformantur,) ſenſeris. Neque interea grave ducas, iſtas ex auctorum ſententijs eruere; quandocunque enim facultatem aliquam intus excitari advertes, propoſitionem illam, cui ſenſus internus reſpondet, in ſuam ultimam notitiam communem, & facultatem denique conformantem reſolve, & illud tanquam primum apud te habe. Hoc ſi intelligis, te nihil præterea morari neceſſe eſt. Cur enim ſi eadem dentur objecta, eædem facultates, ille te ſapientior evaſerit? ſi tamen oneroſum ducas vel moleſtum,

ſtum, notitias iſtas communes, in aciem componere, te iſto ſublevare onere, nobis propoſitum eſt: Interim vos monitos habeat liber iſte, in quo laborem & tempus non aliter compenſari cupimus; quàm ut exiſtimetis, quæ præterea ex gratia, ſive providentia ſua particulari adjecit Deus, à nobis in lucro poni; Neque enim aliquid in naturâ, ſive providentia communi, ita commendatum volumus, quod non præveniri, & quidem ſuperari à gratiâ, ſive providentiâ particulari, & poſſit, & debeat: In hoc igitur unicè contendimus, ut quòd Divinum eſt, & (utcunque depravatum fuerit) providentiæ illius univerſalis, quotidianum opus, vel in ſeipſo, vel ſaltem ex remedio ſuo ſalutari, à blaſphemijs immune, & propriâ dignitate maneat conſpicuum; quo pacto ipſam Dei Opt. Max. cauſam agimus.

Sequitur objectum Inſtinctus naturalis.

CVM autem omnis facultas Divina noëtica, duplex habeat objectum, proprium ſcilicet & commune; (corporeæ enim nullo niſi proprio gaudent) proprium objectum inſtinctus naturalis primo loco explicandum venit: Eſt autem *Beatitudo æterna.* Cùm enim in ordine ad illam, & omnis notitia communis, & quidem actio legitima naturalis exiſtat, in Beatitudinem iſtam æternam, toti componimur: Ille ipſe igitur inſtinctus naturalis, qui & in nobis, & extra nos à propria conſervatione, ubique incipit, in Beatitudinem æternam, tanquam in ſuum finem ultimum deſinit; quod adeò latè verum, ut ipſis ἀλόγοις quodammodò competat; perennem enim & lautum quendam ſtatum & fauſtitatem, ſuo more inſectari videntur: Mors interea omnis, externum aliquid exuit; manet tamen facultas primigenia inſtinctus naturalis, appetitum iſtum in ipſa etiam elementari

mentari naturâ ſubminiſtrans; variæ interim ut dentur rerum periodi, in hoc tamen conſpirant omnia, ut beatitudinem ſuam æternam, unanimiter expetant: ineptè aliquando licet & fruſtrà. *Beatitudo æterna* igitur, & proprium Hominis, & commune rerum objectum eſſe videtur. Sed ut mittamus quæ ad noſtras non ſpectant partes, in præſens tantummodò probabimus, rationem illam propriæ conſervationis, quæ in omni homine, ad beatitudinem illam æternam, propriè & per ſe terminari; Cùm enim, Lector, niſi æterna ſit illa conſervatio, tantùm aberit ut res conſerventur, quod tandem corrumpi & perdi neceſſum fuerit; cùm denique is ſit optimus conſervationis ſtatus, qni nos Beatos omni ex parte reddit, objectum adæquatum inſtinctus naturalis erit beatitudo æterna. In hanc igitur (uon dico in caducam) totum intende animum, totum amorem, totam fidem: quam niſi adſequâris, in mediâ deficis viâ: magnum interea te præſtare cogita, ſi illam ſperare audeas; (neque enim ſceleſtis iſta in promptu ſunt) quam tamen niſi ex totis facultatibus ritè conformatis ambias, in ſpem incumbes frigidam, caſſam, inanem: Hoc interea tanquam ſcitu digniſsimum circa arbitrij libertatem accipe; nempè te in eo gradu eſſe conſtitutum, ut non eſſe beatum appetere nequeas; eò uſque igitur te non eſſe liberum; cujuſcunque enim in objecti fruitione tuam ponis beatitudinem, te beatum indè reddi obteſtaris, (qui enim in nihilum teipſum recidere cupis, hoc ipſum, tanquam Beatitudinem adſtruis tuam.) Quod igitur te liberum, ſenſus internus dictet, ab eo provenit, quod in electione mediorum ad beatitudinem tuam, te liberè habeas: ita enim à Deo Opt. Max. nobis proſpectum eſt; ut in ijs quæ conducunt ad beatitudinem noſtram, ultroneâ donemur optione; ita ut ſi hoc ex votis non cedat, illud tentare liceat, & in nullo non acquieſcere. Te tamen, ſi non aliter, ipſa ex nauſeâ & tædio corporearum

rum delectationum ſe ut repetat, monitum habebit cauſa, medium, & finis ultimus, Deus optimus maximus; qua ratione ſolennem illam de arbitrij libertate quæſtionem, in ſuam ſolvimus diſtinctionem, & noſmetipſos liberos circa media, non utique circa finem ultimum perhibemus. Commune objectum inſtinctus naturalis eſt, quodcunque ex reliquis facultatibus, ſive noëticis, ſive corporeis conformari poteſt, vel ut clariùs loquar, quodcunque & animam juvat & corpus; omnia enim permeat & luſtrat facultas iſta, providentiæ Divinæ univerſalis inſtrumentum proximum; ideò nihil à natura noſtra ita abhorret, quin exindè aliquid & veri & boni elicere valeat facultas iſta; Prout igitur omnia bona particularia in ordine ad beatitudinem æternam, tanquam ſuum finem ultimum deprehenduntur: ita omnes intermediæ facultates ſub illâ, quæ beatitudinem æternam conſectatur, militant: iſta igitur eſt rerum ſeries; quomodo interea doctrina de ſummo bono, cum iſtâ concilietur, ad calcem libri docebitur: interea beatitudinem iſtam æternam, inſtinctus naturalis objectum adeò neceſſarium ſtatuimus, ut imprudenter licet & contradictoriè, ex nullâ non exquiſita fuerit, ſæculo, regione, Religione, Philoſophiâ: quantumvis igitur in quæſtione *quale, quantum, ubi*, &c. litigetur, de re ipſa imprimis conventum eſt, & proindè niſi totam rerum naturam ita peſſundes, ut vel larvam facias vel fucum, erit poſsibilis beatitudo æterna; media ſuperſunt, quæ ſi dentur, & ipſa datur objecti conformitas; quod interea adeò diſertis verbis, beatitudo æterna tanquam objectum inſtinctus naturalis prædicetur, huic poſteriori cumprimis debemus ſæculo; atque hiſce ita præmonitis, ad intermedios illos ſenſus internos & externos, ex quorum conformatione debitâ, prima & ultima pendent, accedimus.

SENSUS INTERNI ſunt actus conformitatum objectorum, cum facultatibus illis in omni homine ſano & integro exiſtentibus, quæ ab inſtinctu naturali expoſitæ, circa Analogiam rerum internam, particulariter, ſecundariò, & ratione inſtinctus naturalis verſantur.

ORDINEM ſequimur naturæ; ſupra inſtinctum naturalem, primam fecimus facultatum, quia in Elementis, mineralibus, plantis, &c. Iſta jam ſecunda ſequitur, quia in Zoophytis teſtaceis, cruſtaceis, &c. quibus luculentus (ſaltem) omnis ſenſuum externorum uſus negari videtur: in illis enim internus quidam viget ſpiritus, ſenſum ſubminiſtrans obſcurum, ſeſe tamen in affectibus, ſive ad individui, ſive ad ſpeciei conſervationem neceſſarijs, ſatis prodens. Quod non ſolùm in univerſali illâ rerum compage liquet, ſed in ipſo etiam Embryone; ſublimi enim illa ſenſuum externorum fabricâ nondum extructâ, Ichnographia quædam ſenſuum internorum, intus deſcribitur, & ex delineatione quadam rudi, totius futuræ molis fundamentum agitur: Denique in ipſo homine, modò accuratè advertas, qui primò in objecti cujuſcunque inſultu immutatur, ſenſus eſt internus, quo affecto, ad ſuum officium excitantur emiſſarij illi (ad menſuram ſuæ virtutis agentes) ſpiritus. Poſt inſtinctum igitur naturalem, ſive ſapientiam illam æternam in nobis deſcriptam, ſenſus internus primum vindicat locum, ut qui ſit maximè ejus affinis, & circa idem objectum noviſsimè verſetur, & quia denique ab eorum aliquibus incipiant, & in eorum aliquos deſinant cunctæ, quæ ab objectis exhauriuntur doctrinæ; quos ideò ita ægrè divelli patimur, ut totos ſimul proponere, hoc in loco placuerit; Obſervatu interea dignum eſt, identitatem quandam radicis, cum inſtinctu naturali obtinere, etiamſi ex

ex differentijs ſuprà allatis, ſatis diſpertiantur; poſt communes igitur notitias, ſive doctrinam inſtinctus naturalis in homine gradatim, & ſucceſsivè ſeſe ad objecta explicantes, particulares quædam notitiæ, & ſenſus ſuboriuntur, à ſuis facultatibus particularibus, conformatæ: Quâ igitur ratione, omni homini inſunt ſenſus interni, ſub definitione vagâ inſtinctus naturalis cadunt; nam *amare*, *ſperare*, *conſcire*, &c. nulli non convenit; eâ tamen acceptione, quâ ad particularia terminantur objecta, particulares vocantur: qui enim hoc vel illud *amat*, *ſperat*, *conſcit*, ex affectu ſuo determinatur ad particulare aliquid, & ſe hoc vel illud *amare*, *ſperare*, *conſcire*, ſentit. Particulares interea ſenſus ſub univerſalibus militant, ubi debita facultatum conformatio inſtituitur, & quę ſive in Divina, ſive quidem corporea objecta impenduntur facultates, in communium illarum notitiarum quæ circa affectiones, jus veniunt: Dilatari interea ad res, facultates tuas, ubique cogita; neque te ſubindè rumpi ſubverearis, niſi enim infinitatis typus aliquis, in te deſcribatur, quomodo ad imaginem Dei conditus fueris? Terminum in rebus invenire potes, in teipſo nullum; Ad objectum igitur novum, novam aliquam facultatem Analogam in te excitari audenter pronuncia; modo leges quas ſuprà attulimus, probè advertas; inferiorum regimen à ſuperioribus petendum tamen, uti ſuprà monuimus, & communes notitiæ conſulendæ ſunt, cum nulla alioquin lege, quæ in dubiô quocunque creantur, lites dirimere poſsis: Ex quibus patet, duplicem veritatis ſenſuum internorum rationem inſurgere, communem & particularem; ideò dari poſſe conformitatem aliquam particularem, inter facultatem aliquam, (fortaſſe ſuper numerariã) & objectum particulare, non diffitemur: Sed cùm iſta ſint opinionũ, immò & errorũ Aſyla; quia deniq; in Naturalibus, actiones ejuſmodi, à corporeis, ut plurimũ, pendent, & intercutibus quibuſdã principijs,

cipijs, quæ ultra ſympathias & antipathias ſuas non feruntur, à nobis, (qui veritatem illam communem, imò & æternam à facultatibus deſumptam, inveſtigamus, illam denique ad quam particulare cujuſcunque ſive veri, ſive boni examen reducitur) & à doctrinâ noſtrâ, longè ablegantur: Antequàm tamen ad diviſionem noſtram ſolennem, quæ quaſdam facultates internas animæ, quaſdam etiam corpori vindicat, accedamus, præmittendum duximus, quos heic exponimus ſenſus, eſſe illos, qui ſimpliciter circa Analogiam rerum internam, ſive ſignaturas & characteres rerum penitiores verſantur: qua ratione diſcurſum, (uti qui utramque Analogiam exagitat) ſuo & quidem ultimô reponimus loco. Heic igitur ſi uſpiam ſenſus tuos internos provocamus Lector, quos ſubtiles, acutos, accenſos expoſcimus, qui neque nugentur, neque torpeant; eâdem enim facilitate quidam interni oppilantur ſenſus, quâ obturantur aures, occluduntur oculi: Ipſe denique affectus ſive ſenſus accuratè obſervandus eſt; omnem enim quam in te ſentis reluctationem, vel ex errore in procinctu exiſtente, vel qui jam irrepſit, & fortaſſe cum aliqua veritate complicatur, vel qui habitudine iniqua firmatus in quoddam κακόηθες abijt, provenire exiſtimandum eſt; eſt enim veritas (uti ſæpè monuimus) Harmonia quædam inter objecta & facultates Analogas, habens ſenſum gratiſſimè & lubentiſſimè, ſine ulla hæſitatione reſpondentem: Ita inſtructus, duplicem, eamque mutuam actionem in rebus obſervare potes; objecta enim agunt in nos, nos etiam agimus in objecta, quæ tamen ita uno eodemque temporis momento perficiuntur, ut quaſi omninò inſenſilis ſit differentia: neque igitur facultates, ſive externas, ſive internas, niſi ratione præpoſterâ divelli patimur: Ideò tamen internos quoſdam priùs immutari facimus, & quia ab illis externi excitantur, & quia in illorum aliquem, ubique deſinunt actiones, quâcunque

ex

ex parte inſtituantur. Cùm igitur in ſenſus internos particulares, ſe primò ſolvat inſtinctus naturalis, ab unitate recedens ſuâ, (miro enim nexu, notitiæ communes, ſive naturæ dogmata inter ſe conformantur) illi denique ab objectorum incongrua, & pugnanti naturâ affici ſoleant, ſummâ cautelâ de rebus decernendum, ne dum mutuò colluctantur, iniquis cedamus affectibus: variæ interim actionum leges imprimis expendi debent, ut qualem unaquæque inducat ſenſum, animo infigas: Ita enim eveniet, ut, quæ propriæ & innatę, quæ alienæ etiam ſint & peregrinæ actiones, facilè perſpicias: Subtilem igitur expoſcimus diſcipulum, qui non ſolùm origines & cauſas actionum, ſed & earum complicationem & tumultum diſcutere, & ſigillatim exhibere valeat: nulla enim vel minima dari videtur adeò ſincera actio naturalis, ut ex toto ſit compoſitionis expers. Quaſdam igitur actiones ab objectis, quaſdam à nobis ipſis, ortum ducere obſervare poſſumus; uti enim pulchrum, deforme, &c. agunt in nos ita & nos reagere in objecta, ſenſus internus, (judex in objectis ſuis ſupremus) docet: quod affectus varij, qui aliquando ex diſcurſus miniſterio, aliquando etiam ſine illo concitantur, ſatis probant: Iſtorum igitur principia & actionum leges, præſertim ſuſpicienda ducimus, vel eam potiſſimùm ob cauſſam, quod nullâ aliâ lege, ſenſus genuinos & præcipuos, ab externis & aſcititijs diſparare poſſis.

Vt quædam interea de dignitate & excellentiâ Hominis præmittamus, quatenus ex auctoribus qui ſaniores habiti ſunt, inveſtigare licuit; obſervamus, unanimiter ſimilitudinem quandam Divinitatis, homini tributam fuiſſe, quidam enim Numen quoddam fuiſſe impiè contendebant; variè interim licet ſeſe explicarunt auctores, in hæc tamen verba, optimè conventum eſſe arbitramur; Hanc igitur ſententiam amplectimur, cùm nullo rectiori indicio Deus omni ho-

mini innoteſcat, quàm illô quod foro interiori deſcribitur. Eſt igitur mens noſtra, optima Divinitatis Imago, & Typus: Hinc fit, ut quodcunque verum & bonum in nobis, eminentiſsimo gradu, in Deo exiſtat: Nos igitur ſententiam iſtam proſequentes, credimus & imaginem illam Divinam, ſeſe denuò communicaſſe corpori: uti tamen in propagatione luminis fit, ſecundum ut ſit ſemper remiſsius, ita in obſcuritatem continuò vergens, ut in umbram, & caliginem tandem deſinat; ita certè imago illa Divina, quæ in unitate noſtra, vitali, liberâ, &c. conſpicua, ſeſe denuò communicans, primo in inſtinctum naturalem ſive communem illam providentiæ ſuæ rationem, deindè in innumeras illas facultates, internas & externas, (objectis particularibus Analogas) protenſa, in umbram & corpus deſinens, aliquando tanquam ad ipſam materiam reſilire videtur, quod quidem ex ipſo ſenſu probamus; neque obſtant tamen imbecillitates iſtæ, quo minùs ſuo lumine & virtute univerſali, iſta omnia perfundat, & permeet Deus Opt. Max. ad quæ repercutimur, Nonne enim ſatis benè, nobiſcum actum eſt, in Analogiâ propriâ ſapere poſſe?

Hæc igitur ex communi adſtruimus ſententiâ, imaginem ſcilicet Divinam quæ in nobis, ſeſe denuò imprimere in corpus, ſignaturâ licet invalidiori; ideò ratio propriæ conſervationis, quæ unitatis & æternitatis Divinæ, uti liberum arbitrium, infinitatis Divinæ ſunt Characteriſmi, ſeſe denuò propagantia, quanto longiùs à principio ſuo diſtant, tanto magis languida, & in actionibus ſuis infirma deprehenduntur: quando tamen, cum principijs in humoribus, deliteſcentibus, (quæ ſecundùm unitates ſuas, Analogam ſibi moliuntur conformationem) conſpirant, & cum illis denique objectorum actiones coincidunt, intenſius operantur: ideò paſsiones & affectus vehementiſsimi in inferiori ſyſtematis humani parte deſpiciuntur; ſuperior tamen inferiorem

riorem in ſe rapere poteſt naturam; ideò mens omnem recolligere & ſedare poteſt affectum; in quibus tamen commune conſulitur bonum, ſummâ pace & concordiâ, facultates ſingulæ, ſua obeunt munera; ideò actiones quæ & mentem juvant & corpus, nullâ moleſtiâ perficiuntur; in reliquis uti magis liberè agunt, ita quidem magis diverſè & irregulariter; hæc autem de compage humanâ, eſt ſententia noſtra, in qua animam noſtram, non ſolùm ad imaginem Divinam conditam, & ejus quidem Ectypum fuiſſe, ſed partem etiam aliquam ſapientiæ Divinæ univerſalis in notitijs communibus, impertitam fuiſſe, exiſtimamus; Hæc interim, animus ſi ſit præaffectus, non facilè capies Lector.

Ad diviſionem facultatum ex quibus ſenſus interni conformantur, accedimus; Heic autem certè negotium ſatis arduum capeſſimus. Cùm enim anima & corpus artificio ſummo, ita conjungantur, ut eorum commiſſuræ nos lateant; & differentiæ ipſæ, & differentiarum termini, difficillimè inveſtigari poſſunt: ex ſenſu tamen interno, & methodo noſtrâ iſta perfici, nihil dubitamus.

In humanâ fabricâ igitur, duplex deprehenditur natura, agens & patiens; ita enim ipſe ſenſus internus docet. Hæc igitur antequàm progrediaris expende; neque te moveant nomina: Quæ autem agunt, in triplici differentiâ conſtituta eſſe, obſervare potes: Agunt enim objecta externa, & objectorum ſpecies etiam in memoriâ ſervatæ, (probatur ex ſenſu externo & interno) agunt principia quędam in humoribus inſita (probatur ex ſenſu corporeo & craſſo) agit etiam iſtis ſuperius principium quoddam, quod mens in ſeipſo, anima in relatione ſuâ ad corpus vocatur, (probatur ex ſenſu perſentiente & Divino,) eſt etiam in nobis aliquid quod patitur: Eſt denique horum omnium ambitus, ſive clauſtrum quoddam, ſive activitatis ſphæra, intra quam actiones iſtæ, ſive abintus, ſive deforis deducantur, perfici ſolent:

lent: quod, quidem, hominem vocamus: neque enim ex molis externæ & figuræ, ſed ex virtutis & energię carceribus æſtimari debet, animal Divinum; cujus metas & fines idcircò, ad facultatum extenſionem, non ad cadaver, poſuimus; Ab eô quòd patitur, tanquam ſcitu facillimo, incipiemus; quodcunque igitur in nobis patitur, eſt corpus, non tamen quodcunque agit, ſtatim eſt anima: Agunt enim objecta & objectorum ſpecies in memoria ſervatæ, (pulchri enim Idæa, ut de turpi taceam, nos afficit) agunt etiam & quidem inter ſe conflictantur, principia quædam in humoribus, tanquam Elementis deliteſcentia; quædam denique actiones ab ipſorum humorum motu, pondere, & irritatione proveniunt; Horum igitur compagem miram, ad mundi exterioris exemplar conditam, illique Analogum, corpus vocamus. Parum interea refert utrùm actio detur in corpore, an paſsio, modò ſenſus obducatur craſſus & turbidus; totus enim iſtiuſmodi ſenſus, eſt corporeus, & ad σαρκικὸν, ſive brutalem illam naturam, (in quam tam ſævè invehuntur ſcholæ,) relegandus: quo pacto imprimis corpus, ſive illud in nobis, quod macrocoſmo exteriori reſpondet, & ab ipſa mente ſive anima, & ab ipſo denique cadavere, ſive materiâ ſignatâ, diſtinguimus. Quòd igitur poſt iſta agit, ipſa eſt mens ſive anima: Nullum enim præterea in natura ſupereſt actionis genus: Tria igitur omninò ſpectanda ſunt, quod agit, quod patitur, iſtorum denique ſenſus ſive ratio; cùm autem omne principium agens, juxta variam, quam erga nos obtinet habitudinem, diverſum inducat ſenſum, non ſolùm ex originibus & cauſis ſuis, ſed etiam ex mira illa ſenſus varietate, mutuæ rerum Analogiæ imprimis diſtinguendæ ſunt: Quæſtiones igitur, *quis* ſenſus, & *à quo*, principem, hoc in ſcrutinio, obtinent locum: Cùm autem in commodioris orationis gratiam, omne agens naturale aſſimilationem, ſive conformationem aliquam, moliri, in quæſtione

ſtione *cujus gratiâ* præmitti debuerit, nos tamen, & quia in explicatione ſuâ ſatis eſt difficilis iſta quæſtio, (ut quæ menſuram & proportionem virtutis agentis in rebus deſideret:) & quia denique compendij ratio nos arcet, inſtitutum noſtrum proſequentes. Objectum id vocamus, à quo utcunque facultas aliqua Analoga affici, vel (ut cum vulgo loquamur) immutari poteſt; neque refert, utrùm in nobis, vel extra nos exiſtat, modò novam aliquam immutationem intus dari ſentias: facultatem, vocamus principium internum conformans: ſupereſt ſenſus, ſive ipſe conformationis actus; niſi enim ſit, quod conformet, niſi etiam ſit quod conformetur, nulla fit ſenſatio; neque enim voluit providentia Divina univerſalis, aliquam in nobis ſine ſenſu fieri innovationem: Quod igitur ſentis neque eſt facultas, ſive vis interna ſeſe explicans, neque objectum; ſed actionum reſultantia quædam, ex colliſione & concurſu mutuô oriunda: actione enim ceſſante, quacunque ex parte fiat, ipſe ceſſat ſenſus; proindè neque totus in te ſive facultate conformante, neque totus extra te, ſive objecto Analogo conformato, ſed in mediâ quadam viâ deprehenditur: quod quidem ipſe ſenſus modò accuratè expendas, docet: Mirum eſt interea, quomodo in ſenſu, id eſt in mediâ viâ hæſerint plurimi, in facultatem ſive principium agens, minimè provecti, quaſi ſe immortales exindè reddi ſubveriti eſſent; ſed nos ultra ſenſum illum mortalem, caducum, momentaneum, quem in nobis experimur, facultatem aliquam conformantem ſtatuimus, quæ quamvis niſi in objecti præſentia ſilere videatur, illi tamen Harmonicè reſpondet, ex quorum actione reciprocâ, ſenſum tanquam reſultantiam ſive concentum quendam, oriri volumus; Neque igitur actione ſublatâ, ex quacunque detur parte, ſupereſt ſenſus, ſed vel ex ipſo objecto, vel objecti ſpecie remotâ, vel ſaltem ex ejus efficaciâ ſopitâ, vel (ubi noſtras ſpectes partes) ex vi internâ alibi inten-

ſâ, tollitur & quidem extinguitur; Maximè interea intereſt ut origines & cauſas ſenſuum, ſive affectuum exploratas habeas; qui enim ex mente, ſiue principio illo interno, adfectus, diverſo nos inſtigant ſenſu, quàm qui ab objectis per ſe, vel eorum ſpeciebus, in memoria ſervatis, vel à principiorum externorum ſympathiâ & Antipathiâ, vel denique ab humorum craſſa & corporea mole, & propenſione excitantur; ubi igitur accedit cauſarum duarum, vel trium coincidentia, vehemens fit adfectus; quòd ubique obſervaſſe, à moleſtijs graviſsimis liberabit hominem, affectuum quos intus ſentit cauſam & originem, ignorantem: ubi enim ipſa mens, & principia, & humores, & objecta conſpirant, magno ferimur impetu. Heic igitur ſenſus tuos internos provocamus Lector; neque enim ex opinione vel auctoritate, vel impoſturâ, Philoſophiam novam adſtruimus; ſed ubique ad probationem, tuas facultates proprias producimus; à quibus nullibi (modò cum objectis proprijs conformentur) recedi volumus: proindè ſi in ſenſibilibus ſenſum, ſive externum, ſive internum ritè conformatum, in ijs denique quæ ſunt ſupra ſenſum, vel communes notitias, vel illas rectè deductas, in teſtimonium adducas, hoc ipſum habebis, quod labore ſummo exantlavimus; Quantoperè interea errant Scholæ, dum ea quæ ſunt ſenſus, ex diſcurſu, exagitant, nunquam ſatis inculcari poteſt; ut quæ totas artes, imò & ipſum facultatum ſyſtema labefactent: neque igitur ſenſuum teſtimonia, elevari patimur, ubi conditiones adſunt; neque denique iſtis freti, Scholas moramur; ſolæ enim cum objectis proprijs ritè conformari poſſunt, facultates noſtræ: Argumentum noſtrum proſequimur; cùm igitur quot dantur actionum differentiæ, tot dentur ſenſus, cùm denique quot dantur Principiorum agentium, tot dentur actionum differentiæ; iſta invicem æſtimari poſſunt. Primò autem de ijs quæ ad mentem ſpectant.

SENSVS

SENSVS INTERNOS (*quos menti vindicamus*) *illos vocamus, qui cùm neque ab objectis, neque objectorum ſpeciebus, neque ab humoribus oriundi ſint; à facultatibus illis ortum habent, quæ cùm communi conſulant bono, in ſenſus ab objectis ſive objectorum ſpeciebus, ſive humoribus, invectos, ita denuò agere poſſunt, vt ſupra omnem affectum iniquum & turbidum conſtitutæ, contrario planè motu ferri, in illis ſupereſſe, illos demum compeſcere & ſedare queant; ita denique cum objectis æternis univerſalibus conformari gaudentes, vt in illis ſolis acquieſcant, æternam ſubindè animæ ſpondentes Beatitudinem.*

NIHIL non ſub ratione propriæ conſervationis Beatitudinem æternam conſectari ſuprà docuimus, quam idcircò neceſſarium objectum inſtinctus naturalis fecimus: proximum depoſcunt locum facultates, ex quibus maximè beati reddimur: ſunt autem illæ ipſæ quas hîc propoſuimus totæ licet interim hoc in opere ut conſpirent, conſentiant, oporteat, primas obtinebunt partes facultates iſtæ, quarum dignitati ut conſulamus, præmittenda eſt diviſio noſtra ſolennis, quæ quaſdam facultates Deo, quaſdam mundo Analogas in nobis ſtatuit; Quæ autem Deo ſunt Analogæ, duplici ex notâ indicantur: prima eſt, quòd *ſenſum inducant ſerenum, beatum*; ſecunda, *quòd in illo ſolo acquieſcant*; quâ ratione à facultatibus corporeis diſtinguuntur, quæ *ſenſum craſſum & turbidum* invehunt, *ultrà denique ſympathias & antipathias ſuas non feruntur*: De hijs igitur ſuo ordine; ne interea, inter facultates iſtas, quæ ad Analogiam rerum internam ſpectant, facultates quæ utramque Analogiam exagitant, puta, illas quæ *contemplantur, componunt, dividunt, diſcurrunt*, &c. deſideres, licet ex diviſione noſtrâ ipſi animæ competant, te iterùm monitum volumus Lector, nos iſtas,

ſub titulo diſcurſus, repoſituros; Argumentum heic habemus Analogiam rerum internam, & in illâ, facultates intimas, eas ſcilicet quæ cùm ad mentem per ſe ſpectent, in actiones objectorum, humorum, &c. denuò agere poſſunt, ſenſum inducentes pacatum, placidum, ubi earum actiones per ſe abſque ſpeciebus & dubijs, quæ à diſcurſu exagitari ſolent, expenduntur; ſub iſtâ igitur definitione, cadunt ſolummodò facultates illæ, ex quibus maximè beati reddimur, ſive facultates Deo Analogæ; Quot ſunt igitur attributa Divina, tot facultates Analogæ in ipſa mente deſcribuntur, quemadmodum quot dantur individuationis principia in Macrocoſmo, tot & talia quædam in corpore noſtro deprehendi volumus: Hoc interim cape Lector iſtorũ conformationem rectam, eſſe illam ipſiſſimã veritatem, quam quærit mundus; Ne interea in doctrinâ noſtrâ, nomenclaturam deſideres, facultates, hujus cenſus, vulgò appellari obſervamus, illas quæ *ſperant, fidunt, confidunt*, *amant*, *ſerenant, gaudent*, quæ omnes à libertate arbitrij, ita permeantur, & luſtrantur, prout iſtæ denuò corporeas facultates permeare & pervadere poſſunt; Eſt enim infinitas ultima rerum ſphæra, ex unitate ſua (neque enim plura uno infinita eſſe poſſunt) omnia pertranſiens; cujus ratio aliqua in noſtrâ arbitrij libertate deprehenditur: Eſt igitur voluntas noſtra, per ſe infinita, ſuis licet cancellis & anguſtijs, ex illâ ipsâ infiniti tranſcendentiâ, concludi videatur; Nullum enim attributum Divinum ſuâ facultate Analogâ deſtituitur; alia igitur facultas Deo tanquam cauſæ, alia Deo tanquam fini, alia Deo tanquam medio rerum competit, alia Deo bono, alia Deo ſapienti, alia Deo juſto, alia Deo æterno, alia Deo beato, reſpondet; Iſtæ igitur facultates denuò cum Deo conformandæ ſunt; Heic igitur diverſè, juxta attributi rationem, noſtri *amores, fides, providentiæ, ſapientiæ, preces, vota*, &c. collocanda ſunt, eâ lege ut univerſa, uti ab eadem anima

ma oriunda, in eundem Deum tanquam in finem ultimum, colliment. Intereà te perfectionis apicem, nequaquam attigiſſe cogita, donec Divinam etiam in te ipſo ames juſtitiam, & reverearis: & te malle plecti, quàm providentiam illam non expertam fuiſſe, apud te ſtatuas: verè licet igitur *timor* imò & *dolor* pro peccatis impendantur, iſta tamen *amor*, & quidem *fides* exuperare debent: quo pacto omnes facultates rectè conformatæ, æternam illam ſalutem integrant: Ne interea ſenſuum internorum, ſenſum communem deſideres, *conſcientiam* habe: ita enim vinculum quoddam reliquorum eſſe videtur, ut citra ejus conformationem debitam, neque *ſpes*, neque *amor*, neque *gaudium* rectè conformari poſsint; de illa igitur proximè ante facultates, quæ circa externa verſantur, erit ſermo; cùm in illa acquieſcant facultates omnes; qua ratione, prima fuerit facultatum internarum, quæ circa objecta verſantur, & quidem ultima; neque enim ſufficit *ſpes*, *gaudium*, &c. niſi veram *ſpem*, verum *gaudium* illud eſſe conſciamus: Sed objiciet nonnullus, Paradoxum prorsùs eſſe, facultates ad attributorum Divinorum numerum ſtatuere; Sed ſi verum eſſe perhibes, omne attributum heic allatum, Deo Opt. Max. convenire, quomodo verum fuerit, niſi facultate aliquâ ubique atteſtante? Quin dices, ex una aliqua facultate percipis: Atqui, hôc ipſo, ſi intellectum innuis, non negamus; ſi diverſitatem tamen facultatum intellectus adimis, operationes animæ haud ſatis diſtinguis; Quemadmodum enim, eadem vox pro re nata, diverſos edit & alternat ſonos, vel idem brachium diverſos tendit nervos: ita quidem eadem mens juxta objectorum varietatem, varias omninò explicat, & quidem complicat facultates; quod ut faciliùs capias Lector, præmittendum eſt, quæ ab una & eadem facultate, conformationes, eundem ſemper inducere ſenſum, modò conditiones adſint, quas in principio libri receſuimus; Ideò eadem figura, idem

motus, eôdem modo afficient ſemper ; qui tamen figuram, & motum (utcunq; per idem ſenſorium trajiciantur) iiſdem tamen facultatibus deprehendi contendit, hallucinatur; Diverſum enim ſenſum inducunt, diverſas demùm leges, ut conformentur, poſtulant: quapropter motus abſque figura, & vice verſâ expendi ſolent; Pari lege, ad omnem actionem naturalem, efficiens & materialis cauſſa deſiderantur. Cauſa efficiens tamen ſola, percipietur fortaſſe, materiali incognitâ, & vice verſâ; Heic igitur niſi diverſæ ſubeſſent facultates, utraque cauſſa neceſſariò conſtaret ſimul; Demum ut rem ipſam perſtringamus, quædam attributa Divina nemini non patent, quia conditiones per ſe ubiq; ſunt manifeſtæ, quædam denique inductione aliquâ (tanquam lege conformationis) probantur; Heic igitur, diverſæ facultates ſeſe explicant diverſis utique conditionibus obnoxiæ: Iſta igitur ſatis liquent; quibus fidem lubentiùs præſtamus, quòd, facultates diverſas, ad corporea & caduca objecta percipienda tribuiſſe, nullas autem, vel parum fidas, undè ille ipſe Deus Opt. Max. innoteſceret, & quidem coleretur, indidiſſe, & rationi, & ipſi Theologiæ diſſentaneum, & ſapientiſsimo Conditore indignum foret; quas tamen adeò diverſas eſſe conſtat, ut de earum aliquibus, niſi inter doctiores nondùm conventum ſit, quod quidem conditionum vitio accidit; *nemo enim ſi eadem darentur objecta, eædem conditiones, non eodem modo ſentiret*, uti ſuprà adnotavimus; Ad explicationem diviſionis noſtræ accedimus: Satis ſuperque diximus, neque facultatem, neque objectum ſentire; quod igitur præſtat mens noſtra, dum iſta inter ſe agunt, & quodammodò de conformatione colluctantur, eſt quod nos ſentire (deeſt vox apta) *perſentiat*: quod igitur in interno adyto perſentis, ſive intelligis, eſt ipſe conformationis actus; ſenſus interea omnes ſerenos, beatos animæ vindicamus, ut quæ ab ipſo foro intimo ortum habeant, qua ratione

ſenſuum

ſenſuum origines & cauſas maximè ſpectamus, cùm ex ipſo ſenſu, quis detur ſenſus, ſatis facilè erui poſsit; Heic igitur craſſam illam & corpoream facultatum compagem deturbari, & quidem diſcuti volumus, ſua ut maneant dignitate conſpicuæ facultates noëticæ Divinæ: quod igitur in iſtiuſmodi reagit ſenſus, illos ubi importuni fuerint, vel varij, demulcens, ſedans, componens, facultatum, quas menti vindicamus, proprium facimus: ſolæ igitur facultates iſtæ habent objecta propria & communia. Propria autem objecta facultatum iſtarum ſunt attributa Divina, probatur ex ſenſu interno, ſive verâ fide, in illis enim ſolis acquieſcunt. Communia objecta facultatum iſtarum ſunt bona communia animi & corporis, & ipſius denique univerſi, probatur ex ſenſu mixto, qui ideò intenſior eſſe poteſt, quia plures conſpirant cauſæ: facultates interea noſtræ Divinæ noëticæ, ſenſus ſuos in corpus invehunt, *pacem* ſcilicet, *fidem*, *gaudium*, *amorem*, *ſpem*; niſi enim iſtæ adſint, rationum ab anima proficiſcentium, ſignaturæ, earum origines aliundè deducendæ ſunt. Iſta igitur ne te vexatum habeas, accuratè expende, ut, quouſque, ſive objectorum, ſive denique humorum actiones, ferantur, ubique advertas; quo pacto, ex ipſa mente, ſenſus illos tranquillos educi ſenties: nullum præterea in naturâ cùm ſuperſit actionis genus; ſenſus igitur iſti à craſsis, & corporeis illis titillationibus ſatis diſcrepant, ubi res ex methodo noſtrâ exagitantur, quo pacto ſive *concupiſcibiles* ex ſympathijs, ſive *iraſcibiles* ex Antipathijs ſuis, oriantur ſenſus, à beatis illis in foro intimo actionibus, ſatis ipſo ex ſenſu diſtinguuntur. Cùm interea ex ſententiâ noſtrâ, quamdiu agitur, fiat ſenſatio, actione verò quâcunque ex parte ceſſante, & ipſe ceſſet ſenſus; ſolus cùm Deus, æternum univerſale ſit objectum, in illo ſolo æternæ ſupereſſe poſſunt *ſpes*, *fides*, *amor*, *gaudium* noſtrum; licet igitur ex illa arbitrij libertate ſive ratione infinitatis, quę in nobis deſcribitur,

ſcribitur, in caduca demandari poſsint facultates iſtæ, quàm facilè tamen iſtorum pertæſi ſimus, nemo non in ſeipſo experiri poteſt; Te iterùm atque iterùm interea hortamur Lector, ut cauſas & origines affectuum iſtorum, denique ſenſus varios exploratos habeas; ex uſu enim eveniet, ut quæ ex ipſa mente, quæ etiam aliundè proveniunt actiones, ex ipſo ſenſu diſtinguere valeas, ubi obſervatu digniſsimum eſt, quæ ex mente deducuntur actiones, commune ſuadere bonum, vel ſaltem, alia ſi non detur via, mala, ut ex fide in Deum & amore exuperes; Ideò in medijs affectuum procellis ſupereſſe ſolent, ſi non omnes, aliquæ tamen facultates noëticæ Divinæ; qui enim *iraſcitur, dolet, timet*, poteſt *amare*, *ſperare*, *confidere*, qui *deſperat*, utcunque poteſt *amare*, qui *odit*, poteſt *ſperare*; nemo enim facultates univerſas quas menti vindicamus, ita penitùs exuere valet, ut illorum aliquibus fretus, quamlibet (etiam invitus) non aggrediatur actionem; ſed aliquos regerentes audire licet, & illum qui *amat*, poſſe *timere*, illum qui *ſperat*, poſſe *odiſſe*. Hijs (quorum plena ſunt omnia) reſpondemus, non eſſe in antitheſi ad noſtra, ut vera ſint quę innuunt: neque enim jam de veritate ipſiſsimâ, ſive facultatũ conformatione debita cum objectis proprijs loquimur, ſed de illa quæ cum objectis communibus inſtituitur; ſi enim noſtræ facultates noëticæ, cum objectis ſuis proprijs, ſcilicet attributis Divinis, debitè conformantur, omnis præterea affectus excluditur: Ideò qui intimè *amat* Deum, & in illo *confidit*, adeò non *iraſci, dolere, timere* poteſt, ut omnia in bonum cooperari certò exploratum habiturus ſit: Vires enim & fortitudines facultatum in objectis cognatis proprijs ita nos totos occupant, ut veritatis ſyſtema pulcherrimum nunquam ſatis mirari poſſimus: virtutes enim quæ per ſe facultatibus inſunt, ita in objecto proprio exaltantur, ut novam prorsùs induant naturam; ſi tamen contendis, te ita *odiſſe* ſimul & *deſperare*

poſſe,

poſſe, ut nec *amare*, imò nec *ſperare* valeas: reſpondeo, ut detur, te facultates Divinas ex toto ſopire poſſe, (quod tamen nequis) te tamen ita debere facere, neque dictabit conſcientia, neque ratio, neque ullus præterea, neque tu ipſe, mentis compos cùm fueris: Quantumvis igitur objecta mutentur, facultates manent, aliorſum licet ex illâ arbitrij libertate detorqueantur: ſed negamus te hominem exuere poſſe; morâ enim vel minimâ interpoſitâ, ita nobis à natura proſpectum eſt, ut ex viciſsitudine quâdam ſedentur, quæ turbant, animo ad priſtinum redeunte ſtatum, tandem ut emergant facultates Divinæ: interim ex toto ſopiri poſſe facultates ſive media ad noſtram conſervationem, ita neceſſaria, ut credam, non adducar unquam: quod enim in ſomno ſileant facultates iſtæ, tanquam commune bonum, ab ipſa anima indulgeri, volumus: ſi non univerſas igitur, aliquas tamen ſupereſſe facultates, quæ nulla vel arbitrij libertate, vel obſtructione, tolli poſſunt, æquum eſt credere: Nunquam igitur tam inſenſum datur odium, ut amorem quemvis ex toto expugnet, neque deſperatio ita præceps, ut ſpem qualemcunque prorsùs excludat, neque denique ullo ex corporeo affectu adeò funditùs abſorberi, vel everti poſſumus, ut aliqua ſaltem non emergat facultas noëtica. Quod inter hæc, violentum excutit, adeò Divinum non eſt, ut quæ verè Divina, ſuaviter & conſtanter, ſive in affectuum procellis, ſive in ſomni ſilentio (quando quidem à gratiâ illa Divinâ, quæ nos etiam in utero ſervavit, protegimur) ſuâ vitâ & pace, ſupra omnem mutationem, ubique gaudeant. Qui turbant igitur, & animum (ut vulgò dicitur) è ſede eijciunt, ſenſus, à peregrinis, (quòd etiam in ſomnijs advertes) deducuntur principijs, prout illi altera ex parte, qui pacatiſsimos, placidiſsimos exhibent affectus, ita ſunt Divini, ut invitis etiam affectibus reliquis, æternam animæ ſpondere poſsint Beatitudinem. Hæ igitur in primis ſunt

facultates ex quibus mala quæcunque, ſive ab humoribus, ſive ab objectis invecta averruncare, vel quidem ſuperare poſſumus: Principem igitur obtinent locum, & iſta ratione, & quia attributis Divinis (objectis ſuis proprijs) omninò ſunt Analogæ: haſce igitur, in miris illis ſenſuum complicationibus, ſepara, & ſuo juſto Domino, Deo Opt. Max. aſſere, niſi ubi communi, aliquid permittis, bono; ſupereſt arbitrij libertas, unicum illud naturæ miraculum, univerſas facultates quas animæ vindicamus, permeans, eſt autem illa facultas ex quâ ſe undequaque flectere poteſt anima; Habet igitur ex doctrinâ noſtrâ facultatem ſuam conformantem, quæ quidem eſt, ratio illa infinitatis, in nobis deſcripta: eſt enim infinitas attributorum Divinorum extima ſphæra, reliqua ambiens: nihil enim extra infinitum dari poſſe, inter plures, quæ circa illud ſubſunt, maximè communis eſt notitia; Ideò nihil non poſſe Deum ex abſolutâ ſuâ potentiâ rectè dicitur, quatenus tamen eſt juſtus, bonus, ſapiens, à ſeipſo nunquam recedit. Prout igitur ad imaginem Dei, ita conditi ſumus, ut ex ejus bonitate, ſapientia, &c. bona noſtra quæcunque deducantur, ita & candidiſsimè rationem aliquam infinitatis ſuæ, in arbitrij libertate impertivit; quod certè demiramur, Scholas non advertiſſe: quatenus igitur Homo liber eſt, infinitus eſt, neque enim quod liberum eſt, vel infinitum, ullum obtinet terminum: Heic tamen diſtinguendum eſt, neque enim in omnibus ſe liberè habet facultas iſta, neque denique libertati iſti, effectus ubique reſpondent: Circa priorem partem propoſitionis iſtius, in memoriam revocandum eſt, libertatem arbitrij dupliciter in nobis conſiderari, vel circa media, vel circa finem; circa finem non ſumus liberi; nemo enim poteſt non appetere Beatitudinem æternam, quòd abundè ſuo loco probavimus: circa media tamen, uti ſuprà adnotavimus, liberè noſmetipſos habemus, quod quidem ex ſenſu interno conſtat: ut

interea

intereà audiendi non ſint, qui (ex diſcurſu neſcio quo,) libertatem iſtam arbitrij in medijs ad beatitudinem, tollere conantur, non advertentes extra objecta cognata, facultates minimè conformari: Diſcurſus enim, ea quæ ſunt extra Analogiam ſuam, non percipit; neque enim *ſperat, timet*, diſcurſus; ſed facultates quæ iſto munere defunguntur; neque denique vel *amor*, vel *timor*, dubia exagitat, ſed facultates diſcurrentes, per quæſtiones noſtras, de quibus poſteà. Ideò libertas arbitrij ex ſenſu interno æſtimanda, & qui ſe liberum ſentit, concludi non patiatur; eſt igitur inſtinctus naturalis, & in homine & in animantibus reliquis, prima facultatum, libertas arbitrij ultima; inter quas, cunctæ facultates reliquæ, ita intercedunt, ut actiones maximè neceſſariæ, proximo poſt inſtinctum naturalem ſequantur loco; neque igitur in ijs, quæ ad vegetabilem ſpectant naturam proficit arbitrij libertas; neque enim creſcit homo quando vult, neque quidem proſperâ gaudet valetudine, &c. ſed *amare, ſperare, confidere* in Deo, & *lætari* etiam in æternum, nihil vetat; de mira igitur diſtinctione motus voluntarij, involuntarij, & mixti, medicorum proceres conſulendi ſunt: pulcherrima enim exindè conſectaria educi poſſunt, à quorum tractatione, illa compendij ratio, quam ubique ſervavimus, nos ſatis arcet. Hæc interim ex parte Dei Opt. Max. capite, non ſolùm Beatitudinem illam æternam, tanquam objectum neceſſarium proponi, ſed etiam media ad illam, ita indulgeri, ut in hâc vitâ etiam qualem illam velimus, copiam abundè factam eſſe obſervare poſsimus; ultra media autem providentiam naturæ, neque in victu, neque veſtitu, &c. ferri communis docet experientia, & conditio humana: quod eo conſilio factum eſt, ut cum illis potiamur, providentiæ ſuæ particulari, gratias habeamus: caveant interim qui ſe terrenorum mancipia reddunt, ne ex votis ſuis res cedant; talem enim cùm expetant Beatitudinem æternam, & illam

illam adſequi in æternum quid vetat? Magnum igitur eſt Beatitudine æternâ, cum Deo ut frui cupias, majus adhuc ſi illam ſperare audeas: Bono igitur noſtro tributam cogita arbitrij libertatem; nempe ut in medijs ad Beatitudinem noſtram, liberâ donemur electione; Elementorum actiones ſunt planè neceſſariæ, paulò liberiores vegetabilium actiones deprehenduntur; in licentiam denique quandam bruta prorumpunt, ſed hijs omnibus exolvitur homo; & nihil non vult, nihil ferè non poteſt; in arbitrij igitur libertatem tanquam in ultimam aliquam differentiam, aſſerimur, quam ideò niſi fortes, niſi maturi, non experimur: deſinite igitur tanquam malam, & à naturâ penitùs depravatâ oriundam traducere facultatem iſtam: Qui nequam eſſe non poteſt, quomodo bonus fuerit? Neceſſariæ actiones noſtræ non ſunt; ab ipſo rerum fato proficiſcuntur, quæ aliter ſe habere non poſſunt. Quæ ſpontaneæ actiones, ſolummodò ſunt noſtræ; gaude igitur te libertate, in oppoſita donatum eſſe, & cùm te bonum pro virili præſtas, mercedem à bonitate illâ ſupremâ, pete, exige, habe: quo pacto revera ſapies; interea maximè cavendum eſt, ne ex peccato deformes imaginem illam Divinam, & quæ contumeliam non patitur, à Beatitudine illa æternâ ablegeris: Atque hæc quidem breviter de illa arbitrij libertate, ex quâ, in anguſto vaſe, infiniti Typus & ratio aliqua deprehenditur, dicta ſunto: Non diffitemur interea quædam opportunè, hoc in loco de arbitrij libertate (prout facultates noſtras permeat, & quidem informat) ſubjungi potuiſſe, ut quæ poſt hanc vitam tranſactam, earum ſit vehiculum quoddam & initium motus: uti quædam etiam de contemptu mortis, tanquam ejus, undè maximè Dei diſsimiles reddimur: ſed quia paſsim brevitati conſulimus, iſtis in præſens ſuperſedendum duximus: ſequi debuiſſet etiam, ſenſus gratiæ operantis & Divini illius auxilij, qui in ipſum forum intimum maximè demandatur:

demandatur: ſed quia iſti ſenſus à Deo Opt. Max. immediatè ſufficiuntur, tanquam ex gratia, ſive providentia ſuâ particulari proficiſcentes, habendi ſunt, de quibus idcircò (ubi de revelatione,) ad calcem libri inſtituetur ſermo: ab iſtis igitur, per ſenſus ab humoribus ortos, ad corpus & corporea, delabimur Lector.

SENSUS INTERNOS *corporeos illos vocamus, qui ab Humoribus motis oriundi, intemperie quadam, ſive ſenſu craſſo & palpabili nos afficiunt, quorum facultates conformantes Mundo (uti priores Deo) Analogæ, peregrinæ cùm ſint in origine ſua & traduces, ad objecta propria, quæ caduca imprimis ſunt & particularia, excitatæ, in eorum nauſeam quandam & faſtidium (quando conformitates etiam ex votis cedunt) citiſſimè delabuntur.*

SENSORIORUM calculum, ad quinque (cum Scholis.) Senſuum, ad differentiarum numerum, ipſo docente ſenſu, ſubduximus; Ridiculum eſt non dari niſi quinque ſenſus: de corporeis in præſens eſt ſermo: Hujuſmodi autem eſt, ſive agat, ſive patiatur, omnis ſenſus craſſus, caducus, turbidus, cujus cenſus enumerantur, imprimis fames, ſitis, laſcivia, torpor, cholera, melancholia, cujus ſymptomata æſtimamus omnem ſenſum in nervis, ſive jucundum, ſive moleſtum, puta libidinem, pruritum, titillationem, riſum, ſegnitiem, oſcitationem, pandiculationem, ſomnum, dolorem, bilem, furorem, timorem, metum, fletum, ephialtem, item ex ijs miſtos, quorum egregius datur numerus, quæcunque denique ab iſtis principijs orta, ſub iſta definitione cadunt, & ſecundum differentias ſuas novum inducunt ſenſum.

Variè excitari ſenſus, ſuprà docuimus; ſive enim principia in humoribus deliteſcentia, mutuò agant in ſe, ſive individuationis principia quæ in objectis, ſive objectorum ſpecies in memoria ſervatæ, ſive in iſta denuò mens agat, diverſo afficimur ſenſu; alternatim denique dum copulantur (quod in omni ſenſatione advertendum eſt) novum & quidem varium inducunt ſenſum: heic igitur origines ſenſuum, uti & ipſæ ſenſuum differentiæ expendi debent: De ijs quos humores moti movent, jam agimus: humores autem ſunt quatuor, quatuor Elementis reſpondentes; de re ſatis notâ non laboramus. Hoc igitur doctrinæ noſtræ fundamentum jacimus, uti cui doctiores adſtipulentur Scholæ: cùm autem in humoribus illis, non tam eorum moles externæ & mineriæ, quamvis illa penitior, & actionum efficacia, ab interna ſpirituum œconomiâ, diſpenſata, maximè ſit ſpectabilis, ad Anatomiam illam vitalem deveniendum eſt, in qua ſpiritus illi, ſive principia, ſive atomi & rerum minimæ portiunculæ, (in quibus tanquam in naturæ penu, ſive ultimis receſſibus, res conſervantur,) maximè ſuſpicienda ſunt: ſunt autem naturæ omninò peregrinæ & traducis, quantumvis ſub ipſa mente militent: Ideò propriam maximè moliuntur conſervationem, quodam cæco licet ut plurimùm impetu: quatenùs tamen Divinæ illi in nobis menti ſubijciuntur, in alienum jus veniunt, animæ imperio ſubdita: ſcientiam tamen ſuæ ſpeciei ubique retinent; ideò ad propriam Analogiam ſingula excitantur, & miræ illæ rerum differentiæ exponuntur: quod ut faciliùs capias Lector, ſtatuendum eſt, ex Elementorum gremio, omnia quæ ſub ſenſum cadunt, educi. Cùm autem humores quatuor, quatuor Elementis reſpondeant, in humoribus iſtis, tanquam Elementis, deliteſcere principia quędam, ad mundi inſtar, in corpore noſtro, compoſita, exiſtimandum eſt: Neque te terreat loci anguſtia, ita enim ſunt incorporea rerum

rum principia, ut ſine indumento, vel veſte, ſenſum externum fugiant, ſuo licet tempore, loco, &c. explicentur. Vide Hyeme Roſam, non caule vel ſtipite, &c. imò nec ipſo ſeminis cortice, ſed virtute prolificâ fœcundam, in ipſo denique naturæ ſinu reconditam, vide (inquam ſi potes,) non dico locum, ſed proventum, quem minimè tamen videre continget, donec rerum cauſæ conſpirent, & è ſeipsâ egrediatur Roſa. Tanti ſunt intra res, gradus, quanti extra: excute animum & ſenties, nonne enim ad teipſum fœlicior factus regrederis? Quemadmodum igitur, totum illud quod afficit in te eſſe, ſenſus internus (modò expendas,) probat, ita neque iſtis claudi, ſed extra teipſum expatiari poſſe, ſenſus externus, utique docet. Infinitum ubique eſt, & omnis pars, aliquam rationem totius obtinet; proindè nihil non ad infinitum protendi poteſt; quod niſi capias, infœlici ingenio te, Lector, præditum cogita: Argumentum noſtrum proſequimur: prout igitur, in facultatibus Divinis noëticis, aliquid Divinis attributis, ita in iſtis aliquid mundo Analogum homo obtinet: proindè neque objecto cuicunque, prout facultates noëticæ, (quæ ſuas notitias, omni ex objecto elicere poſſunt) ſed objectis particularibus reſpondent: neque demùm circa æterna verſantur: facultates enim, quas menti vindicamus, æternis gaudent objectis, & in illis ſolis acquieſcunt; tales denique exiſtunt, ut illis freti, in æternum ſupereſſe velimus; nemo enim non *ſperare* meliora, *confidere*, *amare*, in æternum voluit: ſed facultates quas corpori vindicamus, eo in gradu ſunt conſtitutæ, ut & in ſeipſis & in objectis ſuis imprimis ſint caducæ; neque enim ſe *iraſci*, *dolere*, *timere*, *eſurire*, *ſitire*, imò nec *prurire* in æternum cupiêre nulli, ſed ut tentiginis moleſtiâ exonerati, tandem ſublevarentur; ultimò non commune, prout facultates noſtræ Divinæ, ſed particulare aliquod ſuadent bonum; ex quibus conſtat, ſatis inter ſe diſtingui facul-

tates,

tates, utriuſque claſsis; neque igitur ex voluptate quadam, ſive corporearum delectationum congregatione, ſe fœlices reddi cupiant, homunciones miſeri. quomodò enim in ijs, quorum principia, cauſæ proximæ & ipſi ſenſus, reſpectu noſtri, ſunt caduca ludibria, fœlices eſſe poſsimus: in æternis ſolummodò, perfectam dari fœlicitatem, tædium illud & horror corporearum delectationum (neque enim fœlicior ejuſmodi titillationes manet exitus) abundè docent: quo pacto non ſolùm per cauſas, Analogiam, & objecta ſua, ſed etiam per effectus & ſentiendi modum, facultates noſtrę Divinę à corporeis diſcriminantur. Reſtat ut quid ſit illa corporea, ſive brutalis, (à quibuſdam animalis) ſive vetus homo, quem exuendum eſſe Eccleſię docent, exponamus: quo in argumento prǽmittendum, duplicem eſſe in nobis naturam, animam ſcilicet, & corpus; iſta autem communes, ut ſint notitiæ, in queſtione *an ſit*, in queſtione *quid ſit* eorum alterutra, non facilè eſt explicatu; ne ue enim quod in objecta & humores imperium exercet, eſt corpus, ſed anima, ſive mens noſtra: quæ autem externa, in nos agunt, corpus eſſe nemo quidem ſanus exiſtimavit unquam: reſtat ut ex humoribus corpus illud eruamus: in humoribus autem non illa maſſa, ſive fœces conſiſtentes, erunt corpus, ſed cadaveris noſtri, ſive materię ſignatæ pars aliqua: Supereſt igitur ut à principijs, ſive facultatibus quibuſdam vitalibus, quę in humoribus (tanquam in chao ſuo involuta,) jacent, corpoream iſtam naturam eruamus, (corpus enim ſentire, animam intelligere, ipſa vox populi docet) proindè definitam & diſtinctam illam congeriem principiorum, quæ ad ſyſtema humanum conficiendum, in humoribus tanquam in minerijs ſuis (humores enim Elementis reſpondent) coacervata deliteſcunt, horum inquam compagem corpus vocamus. Quomodò principia iſta cum noſtris cohęreant, rationem ex anima, ſive Harmonia mundi, qui

qui petere recuſat, ex vi illâ plaſticâ, diverſas eduliorum naturas, in unum compingente, ſenſu interno edoctus excogitet; ideò ex eodem gobione, lucius, felis, homo, ſua formabunt ſinguli membra, & juxta ſcientiam, quam propriæ ſpeciei obtinent, in partes ſuas alimenta abire cogent; quod Divinum interea nobis ineſt, iſta omnia permeat, ideò facultates noëticas ſolas objecta propria habere & communia ſæpè adnotavimus. Quæ igitur inter Deum & mundum, inter animam & corpus datur Analogia; quo pacto mens noſtra Deo, corpus mundo inſigniter reſpondent, & omnium in mundo differentiarum rationes aliquæ in homine deſcribuntur, undè propoſitio noſtra, quot ſunt rerum (intellige principio aliquo individuationis inſignitarum) tot ſunt facultatum differentiæ, inſurget. Hinc fit, ut cum attributis Divinis, facultates noſtræ noëticæ Divinæ, cum corporeis, facultates noſtræ corporeæ, lubentiſsimè, (ubi conditiones conformationum adſunt,) conformentur: in humores igitur, ſive Elementa Microcoſmi, totam rerum ſeriem, tranſplantari volumus, quæ ſive in illa ſeminis mole, ſive in alimentis, ſive in ipſo aëre & ſpiritu ingerantur, ex effectis ſuis ſeſe ſatis produnt: iſta igitur in corpus, id eſt in unum aliquod compacta, ut fuerint, in objecta cognata propria, per ſympathias & Antipathias ſuas agunt, & quidem patiuntur; à quorum actione variâ, varij in nobis ſenſus ſuboriuntur: ut proindè affectiones, & morbos peregrinos traduces etiam hæreditarios, labem corpoream verè originalem, in nos migrare, nemo non obſervare poſsit: non ſolùm interea aſcendunt, ſed etiam ſuo tempore exaltantur principia iſta. Quæ maximè proptereà extra nos affectiones ſunt communes, & maximè in nobis ſentiuntur. Proindè ex *calore, frigore, motu,* vel *greſſu animali, voluptate, dolore, fame, ſiti, vafritie*: & ipſo denique *ſomno*, non Elementorum,

 vegetabilium,

vegetabilium, brutorum ſimiles reddimur, ſed ipſa Elementa, vegetabilia, bruta ſumus: *calor* noſter verus eſt *calor* Elementaris, *vegetatio* noſtra, *verum eſt vegetabilium incrementum*, *voluptas*, *dolor*, *timor*, *fames*, *ſitis*, *ſomnus*, *vafrities*, *veræ ſunt brutales voluptates*, *dolores*, *timores*, &c. ſupra iſta enim, motu planè contrario poteſt ferri mens noſtra; quod certè in omnibus præſtare ſolet, niſi ubi communi alicui bono proſpectum eſt: qua ratione ſtimulum addere nihil vetat: cunctæ iſtæ interea ſympathiarum & Antipathiarum actiones (ſive in nobis, ſive extra nos) ab occultis Dei judicijs temperantur; neque aliter obijcientibus, in quæſtione *Cur*, vel *undè*, &c. iſta fiant, reſpondendum cenſeo. Hoc interea munus proximum facultatum noſtrarum Divinarum, facimus, ut principia iſta corporea conforment, & in ſuum jus trahant, ut tandem proprio unuſquiſque potiatur mundo, quo tamen non magis includi poteſt, quàm Deus in univerſo; ſi interea ſeſe mutuò laceſſant, ictibus petant, & inter ſe conflictentur non ſolùm humores noſtri, ſive Elementa Microcoſmi, ſed ipſa etiam rerum principia, novum videri non debet, eadem extra ſe quotidiè experto: Tua intereſt, ut iſta compeſcas, & in ſuum digeras ordinem: Cùm igitur te *dolere*, *timere*, *æſtuare*, & *prurire* ſentis Lector, cogita humores moveri & naturam brutalem, & belluinam in te excitari, & tibi, cum pecude tua, rem eſſe. Iſta igitur ſeda, ex remedijs, quæ ipſa mens, vel etiam medicina ſuggeret: ſiquidem tamen commune aliquod ſuadetur bonum, etiam corpori indulgendum eſt: ita enim voluit providentia Divina univerſalis; Quantùm interea anima humana belluinæ præſtet, quantúmque altioris ſit originis, vel ex eo conjectari liceat, quod ſenſus beſtijs ut dentur, quàm ullis mortalium ſagaciores, non tamen, æquali, rerum, expetendarum fugiendarumque ratione, præditas eſſe ſatis patet, quod

certè

certè contigiſſet, ſi vel ſenſuum externorũ acrimoniâ veritas in univerſum cõſtitiſſet, vel eadem cum brutis, anima, nobis indita fuiſſet; Ideò ultra ſpeciem ſuam non feruntur bruta; Homo verò cùm in propriâ, tum in unaquâque ſapit ſpecie; ſed cùm iſta ſimul doceri non poſsint, nos hôc argumento ſatis obſcuros (ut qui in tenebris mundi verſemur) equidem exiſtimamus: ad ſyſtematis humani diſtributionem accedemus. Quod igitur (inquam) agit, cum ſenſu, ſive ſenſibiliter, & non patitur, eſt mens, quod patitur ſine ſenſu, vel inſenſibiliter, & non agit, eſt materia ſignata, ſive cadaver noſtrum: quòd denique & agit, & patitur ſenſu craſſo & caduco, ipſum eſt corpus, quòd ex ſenſuum differentijs (modò expendas) ſatis conſtat: à ſuperiore tamen naturâ, & ipſa mens pati, rapi, & tota conformari poteſt, de qua ubi de revelatione erit ſermo: ut quędam interea de Analogiâ illâ, quæ inter Macrocoſmum & Microcoſmum, in qua auctores hujus poſtremi ſæculi egregiè ſatis (maximè verò in ijs, quæ ad medicinam ſpectant) navarunt operam, ſubjungamus: obſervare licet, *excandeſcentiam*, *iram*, *ſuſpicionem*, *invidiam*, &c. quæ turbant & tanquam iniquæ paſsiones, à *conſcientia* rectè conformata reprobantur, analogas eſſe regioni illi, in qua cientur procellæ, turbines, & meteora hujuſmodi, quæ utcunque eliciantur, in corpus tanquam in terram cadunt: proindè affectus quîdam infra mentem, ſupra humores diſpiciuntur; quòd in ſe non magis eſt, quod demiretur homo, quàm in Macrocoſmo: quidam denique revera ſunt affectus brutales, quod ut reliqua argumenta taceam, ipſi morbi & rabierum diverſitates docent, dum heic *Lupinæ*, illic *ovinæ*, illic *avinæ*, &c. naturæ dominantur, & modò mites, modò feroces inſaniæ in corporea noſtra compage luxuriantur: ab Elementorum igitur, & vegetabilium naturâ incipiendum, & miræ tranſplantationum leges, expendi debent, quo pacto, ſeminum

aſcendentium, ortus, exaltationes, ſignaturæ, leges & periodi, quæ denique cicurari, quæ etiam efferari poſsint, accuratam poſtulabunt diſquiſitionem: Neque tamen te ita ſollicitum habeant iſtorum leges, ut unà cum iſtis te totum excidere putes; licet enim in morte dimittantur facultates, & ſenſus corporei; ut ipſa denique terrena ſubſidat moles; ut cum iſtis valere jubeas, ſymptomata, morbos, affectiones quaſcunque, puta *iram, timorem, dolorem*, *famem, ſitim, ſomnum*, *vafritiem*; ſupereſt vis *plaſtica*, imò & *movens*, ſupereſt totus *intellectus*, tota *voluntas*, totæ facultates quæ *amant, ſperant, fidunt, confidunt, ſerenant, gaudent*, totę *libertates* ſuperſunt; nihil denique ex qua unus verus homo, immo & ſpecioſus audis, non ſuperſunt; vetera ſuperſunt objecta, imò & nova, neque (ſi iſtis uſque volutare lubet) deeſt quam induas (modò Deus velit) omnis materia, Elementum omne; ſcientiam tuę ſpeciei ubique obtines: ſed majora prędico, & cum terrena exueris, etiam novam eamque magis obedientem dari poſſe materiam, elementa nova, undè totus gloriâ, totus cœlo amictus, proſilire poſsis, enuncio; ſed ſupereſt, modò ſperare audeas, etiam infinitum, ne te in anguſtias cogi, ex doctrina noſtra ſubverearis: Mille interim è ſuperioribus, conſectaria educi poſſunt, undè omnis ſcientiæ fundamenta, inſtaurari poſſunt; nos interim quid ſit corpus humanum, quòd unâ cum animâ ſcholas latere videbatur, paucis more noſtro perſtrinximus; Pleniorem interea hujus argumenti tractationem, ad Lectoris ſenſum corporeum relegamus. Nequaquam igitur audiendi ſunt, qui facultates noſtras Divinas, effectus animi pacati exiſtimant, quamvis enim poſt *iram, odium*, *timorem*, animus ad priſtinum redire poſsit ſtatum, ſublatâ tamen *irâ*, non fit ſubitò *pax* illa interna, neque *odio* ſublato, repentè fit *amor*, neque *timore* depoſito, ſtatim *confidere* valent, impotentes noſtræ corporeæ facultates; aliud igitur eſt non

angi, aliud plena ſecuritate frui, aliud dolore torqueri, aliud etiam invito dolore, ſe fœlicem exiſtimare, aliud denique facultas noëtica Divina, ſemper præſens, omni objecto Analoga, univerſalis, commune ſuadens bonum; aliud corporea illa facultas, craſſam, caducam & particularem intemperiem (malim dicere quam ſenſum) invehens, (licet & ipſum ſenſus vocabulum conformationibus illis à foro intimo & facultatum noëticarum actione proficiſcentibus, verbum ſit omninò impar.) Non diffitemur interea, ab ipſa mente, *dolorem*, *anxietatem*, *timorem*, &c. demandari poſſe, dum facit ut corpus iſta ſentiat; qua ratione partim munus aliquod juſtitiæ Divinæ ſupplet, partim communi alicui proſpicit bono: ideò *dolore*, *timore pio*, &c. nos perfundi poſſe, compertum habemus. Qui igitur ex mente, vi *conſcientiæ* impellentis, excutiuntur *timores*; fruſtrà niſi ex mente pacata; remedia conquirent ſua, uti ex alterâ parte, neque vera facilè exuuntur *gaudia*: Non eſt igitur quòd demiretur quiſpiam, ſi *amores*, *ſpes*, *fides* noſtræ, (cùm in caduca impenduntur,) turbant, cùm quia cum objecto minimè cognato conformantur, tum quòd, (conſcientiâ decernente,) ſtultitiæ propriæ luimus pœnas; qui tamen nobiſcum ſentiunt, iſtiuſmodi affectus, &c. in ſympathias rerum & Antipathias à miro rerum ſyſtemate oriundas reijcient; quòd quidem exiſtimamus, niſi ubi communi alicui bono conſulitur, quo pacto ipſam mentem in adſenſum venturam, nihil vetare, ſæpè monuimus. Hæc igitur ſi quicquam aliud advertite Sophiſtæ, neque facultates Divinas, quæ *ſperant*, *fidunt*, *confidunt*, *amant*, *ſerenant*, *gaudent* in inferiorem & *concupiſcibilem* animæ partem detrudite, ſine quibus adeò caſſus fuerit intellectus, inepta voluntas, fœlicitas nulla, ut quot abſque illis enumeres facultates, totidem fuerint moleſtiæ: quę tanto intervallo denique ab inferioribus diſtant, *ut non ſolùm intellectus ſit in ordine ad illas*, *ſed etiam per illas*, *ſupremis*

mis adnectatur; ſed cogitate vos pauliſper facultatibus noſtris Divinis orbatos, non dico *timore*, *ira*, *odio*, *pruritu*, quibus in æternum carere poteſtis, ſed *ſpe*, *amore*, *fide*, *gaudio*, vide quales fuerint animæ veſtræ, larvæ, umbræ, ſpectra; ſatis habete igitur Sophiſtæ, titillationes & craſſamenta veſtra, inter *concupiſcibiles*, ſive quidem inter *iraſcibiles* merito reponi poſſe. Nos quidem facultates cunctas, quæ ſenſus inducunt *Divinos*, *ſerenos*, *beatos*, primò animæ, poſteà verò ex conformatione debitâ (ſenſuum internorum veritate) ipſi Deo vindicamus: neque igitur eliminentur facultates, ſine quibus tantùm abeſt, ut ad Divina ſuſcitetur mens noſtra, ut neque humana fuerit: quæ omnia clariore indicio innoteſcent, ſi in brutis nulli iſtiuſmodi affectus deprehendi poſſunt; quod quidem certiſsimum eſt: ut enim *doleant*, *timeant*, *laſciviant*, *pruriant*, & impetu ſatis alacri in ſpeciem ſuam ferantur, ut officioſa in dominos ſuos (ipsâ ſagacitate naturæ inſtructâ) eorum pars aliqua audiat, quis tamen unquam in Belluâ *ſpem* inconcuſſam, *amorem* ſolo Boni nomine, impenſum, *fidem* circa æterna, & ſeverum illud *gaudium* obſervare potuit? quis unquam in Belluâ *conſcieutiam*, *reſipiſcentiam*, vel de futurâ vitâ conſilium adnotavit? quod quidem ex eo, quod nulla apud Belluas extet Religionis formula, ſatis ſuperque indicatur. Hæ igitur ſunt illæ ipſæ differentiæ, ex quibus maximè homines ſumus: licet igitur iſtorum tenuia quædam ſpecimina in beſtijs eluceant, ubi Analogia rerum inter ſe expenditur; quia tamen in Analogiâ rerum ad primam cauſam, jus Divini illius cultus, ad humanum genus, unicè ſpectare voluiſſe videtur Deus Opt. Max. illis fortaſſe opus non fuit. Satis habeant igitur animantia, quod in homine perficiantur, & in illo Belluinam ſuam naturam deponant; qua ratione juſtitiæ Divinæ præcipuum objectum fit homo, ut cui imprimis communis rerum tradatur ſalus.

Sensus

Sensus Internos ab objectis invectos illos vocamus, qui ab occultâ illâ objectorum externorum in Analogiam noſtram internam actione proficiſcentes, in foro interiore deprehenduntur.

De ſpeciebus in ſenſoria externa delatis, ubi de ſenſibus externis erit ſermo: *internos* hoc in loco excutimus, cujus generis, voluptates, dolores & affectiones quædam corporeæ imprimis enumerantur; quarum diſquiſitio (ſubtilis admodum) differentiarum explicationem ſubterfugere videtur: ita enim cum actionibus noſtris connectuntur, ſenſus iſti, ut diſcrimen vix patiantur: ideò ſimul ferè in operationem veniunt: cùm tamen quoſdam ſenſus, ab objectorum per ſignaturas ſuas internas explicantium actionibus, deduci æquum ſit credere, (niſi cunctas actiones facultatibus, nihil rebus ipſis tribuas) quinam ſint ſenſus iſti, & quæ eorum ratio dari poſsit operæ pretium erit inveſtigare: ne interim res temerè confundamus, quoſdam ſenſus internos menti, quoſdam corpori Analogos denuò ſtatuimus. Quæ autem menti ſunt Analogæ, per quandam formarum communionem inter ſe, percipiuntur, qua ratione non agitur in mentem noſtram, ſed in ejus exercitationem aliquid proponitur: Mens enim cùm Divina ſit, pati nequit: in hiſce igitur ſeſe liberè habet; quod in objectorum actione in corpus neutiquam fit, quorum conformationes (quia media quaſi ſemper adſunt) neceſſariò ſubſequuntur. Hinc fit, ut in Harmoniâ hæc facultas, modulatione, illa oblectamento planè diverſo demulceri poſsit. Quantùm interea menti, quantùm corpori deferatur, dum iſtâ inter ſe agunt, acutiſsimi fuerit inveſtigare; nos enim ſigillatim proponimus,

nimus, (complicatæ ut ubique ſint) iſtiuſmodi actiones: Exemplum ſubijciemus: circa pulchrum quo afficimur, quantùm agenti externo, quantùm ipſis facultatibus internis debeatur, pulchra & quidem ardua fuerit quæſtio: proportionem enim virtutis agentis in rebus deſiderat, quam qui capit, totum rerum ſyſtema capit; complent enim Harmoniam mundi proportiones iſtæ, quas numeris ligari, cum Scholarum doctiſsimis profitemur: calcula, periodos, & invenies, ſed regredimur, & quomodo ſenſus illi interni, quos objecta invehunt, à cæteris diſtinguantur, diſquirimus; Quicunque igitur ſenſus interni particulares, ab objectis immediatè, & ſine diſcurſu in nobis excitantur, hâc in claſſe reponimus; univerſales enim affectus, ad inſtinctum naturalem, ſuprà reduximus; cujus cenſus videntur, ſtridores illi bruti & inconditi, qui horrorem in quorundam dentes incutiunt, & ſimilia ſymptomata, quæ in hiſtorijs admirandis obſervare licet; cuncti enim hujuſmodi ſenſus ad facultatem aliquam internam in corporea mole ſupernumerariam, attinent: homo enim abſque hijs, ſuis numeris abſolutus eſt: Heic igitur nova aliqua facultas, ad alienam ſpectans Analogiam excitatur: Licet igitur quoad Analogiam externam, omne individuationis priucipium, aliquid proportione reſpondens in homine obtineat, Analogia illa interna nos latere poteſt, niſi ab occultis, ſed juſtis certè rerum ſympathijs, vel antipathijs excitetur: non eſt interea, quòd hiſce in ſenſibus, totas actiones objectis tribuas: ſed quædam illis, quædam ipſis conformationibus permittendæ ſunt: Heic tamen ſi uſpiam objectorum actiones, locum habent: qua ratione Analogia rerum interna, ab externâ illâ luculentiſsimè diſtinguitur, & quæ nos latere poſsint, optimè docetur. Hæc igitur ſenſu ſubtili expende, ut tandem, quid connatum & proprium, quid adventitium denique & extrinſecum, exploratum habeas: qui interea

terea affectus particulares ex objectorum actione, nobis invitis accidunt, peregrinos ſtatuimus; quod qui negat, ipſis ex rebus evincendus eſt: ubi interea ex actione corporeorum inter ſe, (ſive ab intus, ſive de foris veniat) gratus datur ſenſus, noſtra haberi poteſt conformitas, ubi ingratus, aliena: cùm igitur noſtris principijs corporeis validiora fuerint principia externa, quod ſibi Analogum, magnetico quodam more in ſe trahunt, & vice versâ: Indè ex ſolutione continui, ſtrenuè in nos agitur, & à majoribus, partes minores exhauriuntur: Continuitas univerſi à providentia Divina univerſali maximè procuratur, noſtra enim, ſecundæ rationis eſſe videtur; quo pacto dolor iſte in nobis, vacuo, in inanimatis reſpondet; exinanitur enim pars illa ex qua nuperè deceſsit quod conformatum eſt; qua ratione igitur, vacui eſt impatiens natura, nos ſenſibiles in fabricâ interiori voluit; cùm igitur puncta, ſciſſa, reſoluta, eroſa, diſtenta, diſrupta, compreſſa, conſtipata, ſuerint membra, aliquæ cedunt partes, & quoddam alicubi datur vacuum; hij ipſi igitur, qui in rebus cœci videntur ſtimuli, in homines tranſplantati ut fuerint, vitales fiunt, quod ubique obſervaſſe permagni momenti ad rerum dignotionem eſſe arbitramur; Cùm interea principia quæcunque, in inferiorem aliquam naturam compinguntur, dolent, (neque enim caro, vel nervus, ſed principia, ſive ſpiritus ſentiunt) quemadmodum ex alterâ parte, quando cum ſuperiori aliqua natura, conformatæ ſunt, lætantur, & gratum inducunt ſenſum, inter quos medius ex repletione convenienti datur ſenſus: Si interea mori renuant omnia, cogita malle inferiora in ſe rapere, quàm in alienam unitatem abire, ut iſta interea, Dei judicia occulta temperent, neque enim in quęſtione *cur*, vel *undè* iſta fiant, petentibus, aliter reſpondendum cenſeo; Alias denique voluptatis & doloris cauſas dari poſſe, nobis compertum eſt, ſed in hujus modi affectionibus,

fectionibus, has ſubeſſe cauſas noſtra eſt ſententia; an verò temperies mutata, huc reduci poſsit, non eſt heic in animo diſcutere; ſatis erit in præſens, quid principia externa per ſe poſsint, propoſuiſſe; quæ cum duplici in Analogiâ externâ ſcilicet & interna, conſtituantur, diverſis reſpondere facultatibus, ex ipſo ſenſu demonſtravimus: facultates igitur externas emenſum ut fuerit, objectum idem, quatenus amarum, hanc, quatenus ingratum, illam, quatenus ſanum, tertiam afficiet facultatem, juxta variam Analogiæ diverſitatem: Huc denique actiones principiorum omnis ſaporis, odoris, & ipſius coloris quatenus gratæ ſunt, vel ingratæ, reduci poſſunt, licet etiam cum iſtis, actiones noſtræ complicentur. Plura denique de pulchro, quod ex diviſione noſtra, menti, & de ſpecioſo, quod corpori reſpondet, dici poſſunt, quemadmodum etiam de Muſicâ, ad quam facultates noſtræ iiſdem certè proportionum intervallis diſtinctæ, mirè ſubſiliunt; heic denique nobilis illa quæſtio, quinam inſtinctus naturales, qui in Elementis, vegetabilibus, brutis, in nos, tranſplantati, agendi efficaciâ uſque decorentur, exagitari poteſt; ſed quia perſpicuitatem & quantùm fieri poteſt brevitatem, hoc in argumento propoſitum habemus, iſta in præſens mittimus, & ad ſenſus miſtos & compoſitos omnium latiſsimos accedimus.

SENSUS MIXTUS *is eſt, qui, ab actione principiorum in ſe alternatim agentium, oriundus, affectum ancipitem & varium, modò menti noſtræ, modò humoribus, modò objectis, ſive objectorum ſpeciebus in memoria ſervatis, propiorem inducit.*

MULTIPLICIS

Mvltiplicis admodum Naturæ, eſt Homo; Proindè ab Elementari temperiem, à vegetabili, ſtaturam & incrementum, à brutali ſenſus corporeos & craſſos, à rationali demùm, Intellectum, voluntatem, conſcientiam, & facultates noëticas Divinas mutuatur & obtinet; quibus demùm pro Beneplacito ſuo dotes innumeras, ex gratiâ ſive providentiâ particulári adijcere poteſt & ſolet Deus Opt. Max. Qui igitur in Naturam humanam, & facultates denique noſtras tanquam penitùs depravatas & corruptas adeò ſævè invehuntur, haud ſatis advertunt iſtarum quaſdam, bonas in ſeipſis exiſtere, quaſdam neque malas reddi poſſe; operæ pretium idcircò fuerit inveſtigare, quid tandem convitijs ſuis adeò temerè impetunt; Equidem elementarem Naturam, aut vegetabilem crimine aliquo teneri, haud aſſerunt: Minùs demum, rectam rationem, voluntatem, conſcientiam, &c. per ſe cauſſari queunt; Reſtat ut contumeliarum aculeos, Naturæ belluinæ affigant; Verùm enim verò neque Naturæ belluinæ affectus, modò debita objecta, & debitæ tandem conformationum leges adhibeantur; corripi poſſe, abundè ſuo loco probavimus; quia tamen ex Naturâ corporeâ, ſive belluinâ prævaricari contingit, ejus partes accuratiore indagine, explorandæ ſunt; cui Provinciæ, ut aliquatenus conſulamus, præmittendum duximus, duplicem omninò Naturæ corporeæ ſive belluinæ dari rationem; formalem ſcilicet & materialem; Formalis autem ratio Naturæ corporeæ, in animâ illâ ſenſitivâ, à Scholis tantoperè decantatâ, adinvenitur; Materialis, in denſo & confertô quôdam corpore, ad vegetabilem & elementarem Naturam juxtim accedente, deprehenditur, quam tamen à materiâ ſignatâ ipſarum beſtiarum ita diſparatam eſſe conſtat, ut etiam in Beſtijs ſuam indolem

obſervare poſsimus; Cùm autem Natura iſta corporea & belluina ex Elementis, Alimentis, ſive ipſa demùm ſeminis mole, in Hominem tranſplantata & migrans, ſeſe pluribus excitat affectibus, qui ab Animę rationalis actionibus prorsùs diſtinguuntur, videndum quinam atro illo notati calculo, quibus denique remedijs optimè cedant; In plethorico & euchymo corpore igitur, indomita quædam laſcivia & pruritus, propudioſa libido, & ipſa demùm Satyriaſis ſeſe produnt, in bilioſo, ira, impetus, ferocia, furor; in pituitoſo, ſegnities, hebetudo, torpor, Paralyſis; in atrabilario, moroſitas, mœror, mania, delirium; Cùm autem omnem iſtiuſmodi affectum morbi, potiùs quàm peccati Naturam referre exiſtimandum ſit, Medico heic fortaſſe potiùs quàm Philoſopho, aut Oratore opus fuerit; Proindè petulanti (debitum ſi vas defuerit) Nymphæa, Vitex; Cholerico, Rheum; Phlegmatico, Agaricus; Melancholico, Veratrum; ex præparatione debitâ propinandum; Non negamus intereà, & ipſam mentem, ſua ἀλεξίκακα ſubminiſtrare, contrario enim motu ferri, in medijs affectibus ſupereſſe, illos denique compeſcere & ſedare poſſe, ſuprà docuimus; Attamen pace tantorum virorum dixerim, morbos corporeos ipſis remedijs corporeis opportuniùs profligari: qui enim dolores immanes & cruciatus corporeos, ſolis Philoſophiæ moralis præceptis, leniri nedum ſolvi poſſe obſtrepunt, jejunè admodùm mihi ſapere videntur: legitima igitur remedia conquirenda ſunt, ipſa demùm temperies exploranda eſt, ut quantùm humores præponderantes, peccato cuivis contulerint, vel ipſi Prætori conſtet; quô pactô haud ita levi negotio damnandos exiſtimo, qui ex ἰδιοσυγκρασίᾳ aliquâ prævaricantur? Quemadmodum igitur flagitij haud juſtè argueris Lethargum deſidem, aut Hydropicum bibacem, ita fortaſſe neque Veneris, aut Martis œſtro percitum, modò in peccantum humorum redundantiam, potiùs

quàm

quàm pravum aliquem habitum, delictum commodè reiji-ci poſsit; Neque tamen me heic conſcelerati cujuſvis patronum ſiſto, ſed in id ſolummodò contendo, ut mitiori ſententiâ de ijs ſtatuamus, qui corporeâ, brutali, & tantùm non neceſſariâ propenſione in peccata prolabuntur: Hæc autem circa materialem, craſſam, & inferiorem animæ ſenſitivæ partẽ dicta ſunto; Sequitur, ut mala quę ad formalem, ſive ſuperiorem animæ ſenſitivæ partem in nobis ſpectant, paucis adnotemus. Hac igitur claſſe recenſemus improbitatem, protervìam, malignitatem, impoſturam, dolum malum, ingratitudinem, & omnem nequitiam inhærentem, quæ neque ullò corporei humoris proclinatione palliari, neque ullo demum ex cathartico quantumvis ſpecifico tolli poteſt: Heic igitur prava quædam indoles, ad ſenſitivam & corpoream Naturam ſpectans, ſeſe prodit, & peſsimi moris hominem ſive belluam indicat; quo pacto occulta Dei judicia ſubeſſe, exiſtimaveris, Lector; Neque enim eadem ſive blanda, ſive proterva indoles, vel idem ſive mite, ſive ferum ingenium omnibus ingenitum, quod certè contigiſſet, ſi vel prorſus depravata, vel ſaltem non inſtaurata ex remedio ſuo ſalutari, fuiſſet in univerſum Natura humana; Hijſce igitur tentati noxis, iram Divinam deprecentur, animæ rationalis demum jus & imperium in naturam belluinam, exerceant; neque enim remedijs vulgaribus cedunt, quæ pluſquàm medullitùs inſident, & non ſolùm pravum in genere, ſed hujus, vel illius belluæ peculiare ingenium in nobis indicant; Quandocunque igitur convitijs ſuis, rerum Naturam deturpare aggrediuntur Logodædali inamœni, cogita deteriores Naturæ belluinæ partes, cumprimis impeti, & in labem iſtam originalem haud immeritò animadverti, modò ſecretorum Dei Opt. Max. Iudiciorum, (uti ſuprà innuimus) ratio ubique habeatur: Sed unà tecum reputa, facultates omnes per ſe eſſe utiles,

modò debita objecta, & debita conformationum media adſint; ut deſint verò, ſapientiam Naturæ, notitijs communibus inſtructam cuivis flagitio reclamare, & remedia demùm porrigere poſſe, neminem denique ita Naturâ ſuâ præcipitatum, ut in malum quodvis etiam invitùs propellatur: Equidem qui (reſpectu totius compoſiti) naturam noſtram imperfectam eſſe dicunt, à vero non abhorrent, ultra media enim non fertur providentia Divina univerſalis: Atqui perverſam & pollutã, uno eodemq; modo in omnibus, ſi vociferantur, næ ipsî veritatis leges haud unquam probè calluerunt; quapropter leges conformitatum facultatum naturalium, è ſuggeſtis erudiri, & urgeri potiùs quàm facultates ipſas exauctorari, & proſcribi, conſultiùs ducimus. Hijſce ita præmiſsis, ad explicationem propoſitionis allatæ, noſmet accingemus; Proindè dicimus mixti hujus ſenſus (omnium ampliſsimi) notam perpetuam eſſe, ut turbet: nulla igitur, ſine aliquâ luctâ, datur rerum integra perceptio; ubi tamen ſuo ordine retexuntur, gratus inducitur ſenſus, & è contrà; indè *invidentia, Zelotypia, ſuſpicio, livor, ſuperbia, faſtus, dedignatio, faſtidium*, &c. moleſtiſsimi affectus, & quia omnium maximè miſcelli, & quia nullâ in ſerie aptè reponuntur: ideò neque *iraſcibiles*, neque *concupiſcibiles* hiſce opus habent, ut qui ſatis impensè alioquin, ſuo defungantur munere. Proindè ubi iſtorum cinnus fit, vel miſtura, vario obducimur affectu, maximè, ubi humores in compoſitionem veniunt, quos niſi facultates noëticæ temperent, toti fuerint ſeditio, tumultus; Cùm autem nulla adeò ſincera detur affectio, quin in illâ, aliqua reliquarum particula & momentum, deprehendi, ut plurimùm, ſoleat; ideò à nominibus & verbis, ad ſenſus internos provocamus, ut quouſque omni in ſenſatione ferantur, ſive objectorum, ſive humorum, ſive denique ipſius mentis actiones, exploratum habeamus; licet igitur uno eodemque

eodemque quaſi inſtanti, operentur iſta, nos tamen qui res juxta differentias ſuas (quatenùs per vulgarem iſtam nomenclaturam licet) accuratè & quidem ſigillatim expendimus, hæc ab invicem diſtinguimus, univerſas actiones, ſeorſim & per ſe proponentes: Tua interea intereſt, ut varios rerum ſenſus, ſuis characteriſmis inſignias, quem niſi cudas laborem, neque res, neque quidem teipſum adſequêris: Non eſt igitur ut hoc in ſcrutinio, vel libro opus habeas, vel magiſtro, ex ipſo naturæ theſauro in te depoſito, omnia eruens: Quatenùs tamen objectorum vices ſupplent, auctorum ſententiæ utiliſsimè evolvuntur, modò notitias communes, tibi ubique ſiſtas. Quàm parcè igitur credendum, maximè ubi novæ irrepunt ſententiæ, ex iſtis vides, niſi ultra facultates ſapere lubeat, quas ſi ſenſu interno edocti, plurimas fecimus, non opus eſt, ut Auctores moremur, ſenſus ipſos in teſtimonium ubique adducentes; Neque igitur Scholis ſit integrum, diſcurſum iſtum (aliquando inſulſiſsimum) ubique objicere; licèt enim ſuo in ordine maximè proſit, in ijs tamen quæ ſunt internarum facultatum objecta, delirat: quo pacto proba facultatum conformatio, noſtra & quidem communis veritas fuerit; Hæc interim de miſcellaneo ſenſu omnium latiſsimo, dicta ſunto, cujus explicationem fuſiorem qui deſiderat, è prioribus petat. Hæc interim ut animo infigas, te monitum volumus Lector: teipſum enim, à moleſtijs graviſsimis, quæ & in rebus, & in earum doctrinâ, occurrunt, liberatum ſenties, nulla cùm alioquin ſuperſit ratio, undè unicuique agenti, in rerum naturâ, ſuam vindices actionem; ſine quâ tamen vel nullam, vel confuſam, & omninò indiſtinctam obtinebis ſcientiam veritatum illarum, quæ nullo alio indicio, quàm ſenſuum acrimoniâ, (modò ſenſus ex differentijs expendas) fœliciter æſtimari poſſunt.

Ad

Ad conſcientiam, ſenſum communem, ſenſuum internorum accedimus, à qua ritè conformatâ, pax illa & ſecuritas interna pendet, quæ ita denique principium, & finis noſtrarum actionum exiſtimari debet, ut ſola utramque paginam faciat, de quâ haſce theſes præmittimus, 1. fuiſſe ſemper in omni homine, 2. eſſe à naturâ, ſive providentiâ rerum univerſali; taceant igitur naturæ ſuggillatores, neque penitùs depravatam prædicent, quæ nullo non ſæculo docuit horrere ſcelus, vel omninò defuiſſe clamitent, quam etiam in vultu eminere obſervavit antiquitas; deſcriptionem proponemus.

CONSCIENTIA *eſt ſenſus communis ſenſuum internorum, à facultate illa, quæ conſcit, oriunda, in cujus foro, non ſolùm, quid bonum, quid malum, ſed eorum gradus varij (ratione dignitatis, ſive indignitatis uniuſcujuſque habita) per communes notitias, auctoritate eximiâ, eo fine expenduntur, ut tandem in ſententiam illam,* quid fieri debeat, *veniatur.*

INTER miros partium in compage humana nexus, puta nervos, tendones, ligamenta & in famulitio interiori, ſpirituum communionem, & æquabilem illam temperaturam, actionum vitalium conſenſum, & entelecheiam, ſenſum illum communem ſenſuum externorum, (ubi res alioquin variæ inter ſe committuntur) maximus adhuc ſupereſt *Conſcientia*, quæ totas rerum benè, vel malè geſtarum, rationes expendens, leges paſsim indicit ſuas; ita ubique ſe immiſcens, ut neque dictum, neque factum, neque cogitatum, diligentiam ejus latere, vel ſubterfugere poſſe videatur: cujus proprium eſt de benè actis lætari, de malis, facere ut corpus horreat cum pœnitentiâ; tam maximi momenti

menti igitur eſt conſcientia, ut citra illam debitè conformatam, de internâ illâ pace deſperandum ſit. Heic enim neque alibi, magnum illud ſalutis fœdus eſt ictum, & æterna ſpondetur Beatitudo: in hoc igitur, tanquam quoddam actionum centrum, & communes notitiæ demandantur, & ſuprà ad illam, principia corporea provocant: ut novum non ſit, creperam hoc in foro aliquando exoriri luctam; quantumvis igitur facultas conſciens inter illas, quæ ad mentem ſpectant, maximè reponi debeat, ut quæ in res agat, per quæſtionem *an ita eſſe debeant*, rationibus tamen ſuprà allatis freti, medio poſuimus loco, & quia ab illâ incipiunt, & in illam deſinunt actiones cunctæ, ubi liberum permittitur judicium. Poſt quæſtiones noſtras igitur, (de quibus ſtatim) in forum internum res deducuntur, & *an ita eſſe debeant*, expenditur, ea lege, ut, ubicunque de Divinis & extra captum humanum, ſive Analogiam noſtram, quæſtio fuerit, ſobriè & ſummâ cautelâ decernatur; Neque igitur occulta Dei judicia rimari, minùs adhuc, de illis ſententiam ferre licet: dum interea iſta facultas, (rectè conformata) agit in corpus, ſenſu ingrato & moleſto, quod in te prævaricatum eſt ſentit, quemadmodum itidem ex benè geſtis, gratus & benignus inducitur ſenſus: Prout igitur omnem noſtram facultatem Divinam, alicui attributo Divino, corpoream denique omnem alicui individuationis principio, in mundo exiſtenti, Analogam facimus, ita (ut ſuprema infimis connectantur) providentiæ Divinæ δικαστήριον in conſcientiæ foro, omninò ſtatuimus; Quæcunque igitur ad ſacra ſpectant, heic tanquam in curia quadam Calabrâ exagitari ſolent; Qui ſibi igitur à juſtitiâ Divinâ cavet, conſcientiam per communes notitias ritè informatam ſuſpiciat, neque enim niſi in facultatibus totis rectè conformatis, modò ipſa rectè conformetur, acquieſcit: Ideò ubi iſtis excidimus, ad reſipiſcentiam hortatur, undè luxatæ re-

ponuntur facultates: In conſcientiæ igitur foro, non ſolùm animi & corporis, ſed ipſum etiam Dei tribunal ſitum eſt, pro quo, omnis facultatum internarum cauſa, maximè verò illarum, penes quas (rerum ordo eſt, agi ſolet, ideò ſenſus corporeos, ita pervadit & quidem perfundit facultas iſta, ut aliquando ipſam horreat delectationem, aliquando etiam, vel invito dolore lætus patiatur, vel ſuccumbens, Divinæ factum ſatis putet Iuſtitiæ: Ideò dictante conſcientia, Bonum animi, Bono corporis, Bonum commune, Bono particulari præponitur: ideò ſi omne malum eſſe vitandum, docet notitia communis, etiam & iſtud vitari, hoc in foro docebitur: ideò denique ſi notitia ſit communis, nos debere eſſe temperantes, in ijs etiam quæ bona exiſtimantur, ne quid nimis, monebitur: quemadmodum igitur in inveſtigatione veri & falſi, per diſcurſum rectè conformatum in vera particularia, ita per conſcientiam rectè conformatam in Bona particularia delabimur: Poſt quæſtiones diſcurrentes igitur, *an ſit, quid ſit*, &c. in quæſtionem iſtam venitur, *an ita eſſe debeat, quid ita eſſe debeat*, &c. ut tandem ex regreſſu in aliquam notitiam communem facto, in illâ acquieſcatur; ubi quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, & in dubijs tutiorem eligere partem, ſunt & quæ frequentiùs occurrunt notitiæ communes, & ex quibus minimè errare contingit: Eſt autem in triplici Analogia facultas iſta, videlicet in Analogia rerum ad nos, in Analogia rerum inter ſe, in Analogia denique propriâ, ad primam cauſam, de quibus ſigillatim tractare mihi non eſt animus, integrum de conſcientia tractatum meditanti: ubi quàm turpiter illa, ſive facultas, ſive genius (ut quidam voluere) à veteribus ſcholis omiſſa ſit, neque enim ex profeſſo illam tractaſſe, (utcunque in omni homine deſcriptam fuiſſe nemini ſit dubium) videntur, adnotabimus: Magnum igitur Pietati adjumentum tulit poſtremum iſtud ſæculum,

dum

dum ex verâ pœnitentiâ, conſcientiam fœliciter inſtaurari docet; cui muneri mirè inſerviunt frequentes concionatorum increpationes, nobis Divinam in ſcelera animadverſionem ita inculcantes, ut niſi reſipiſcamus, gravia & quidem juſta indicant ſupplicia: Horſum igitur Bono ſuo currit grex, rectè per terrores, in ea quæ ultrò facere debuiſſet, impulſa: Hæc igitur breviter de conſcientia, in Analogia ſua ad primam cauſam, dicta ſunto: reſtat ut pauca de *honore* & exiſtimatione illa præclara, quam omnes tam magni faciunt, ut illam ſine capitis periculo convellere non liceat, ſubjungamus: ſpectat autem ad conſcientiam, ſenſus iſte: cùm tamen quædam conſcientiæ pars, circa Analogiam quam obtinet ad primam cauſam, quædam circa Analogiam rerum ad nos, quædam demùm circa Analogiam rerum inter ſe, verſetur: quemadmodum in ſuperiori illa parte, norma pietatis, teſtimonium favoris Divini, & Beatitudinis æternæ certitudo deſcribitur; ita *honor* & exiſtimatio ejus inferiorem partem, tanquam propriam, ſatis ambitioſè vendicant: uti Divina igitur, ita & moralis datur conſcientia, quæ *honor* eſt: quædam denique de conſcientia, in Analogia rerum inter ſe, dicenda videntur, ſed quia de hijs in libro conſcientiæ (juvante Deo) erit ſermo, tranſimus: Eſt igitur in omni actione egregius conſcientię uſus, primò, ut ſupremum aliquod Numen agnoſcamus, quod ut ubique, exiſtat, nullibi tamen luculentiore indicio deprehenditur: ſecundò, ut de providentia ejus certiores facti, ad illam nos totos componamus: tertiò, ut compertum habeamus, niſi premium & pœna nos maneret, Deum à nobis rigidam & duram illam virtutem, &c. minimè exacturum: rectè enim dicitur pondus conſcientię grave, ſine ulla virtutis & vitiorum Divina ratione: Magnum interea conſcientię periculum imminet, ſive ſcrupulus inducatur, ſive callus obducatur, & tandem fiat impœnitens; non ſolùm

lùm igitur notitiæ communes omni in actione conſulendæ ſunt, ſed ex *vigilantia*, *meditatione*, *oratione* ſtimuli ſuffigendi ſunt, ne in mediâ deficiamus viâ; Tantùm abeſt interea ut, ex toto, conſcientiam, vel ſopire, vel quidem expugnare poſsis, ſuum ut maneat uſque verber ſurdum, graviorem tandem, ad ipſos uſque vibices, inuſturum notam; quod quidem turpiſsimus repentè ut ſis, te aliquando experturum cogita: Notitias interea communes (quas ideò in te exiſtere oportet) in ordinem, ſi quicquam aliud compinge; ex neceſſariâ enim & ipſiſsimâ doctrina inſtinctus naturalis, ortum ducunt; quas ideò omni in propoſitione, quæ delectat, vel quidem juvat, ſubeſſe cogita: Haſce igitur exprome; mole enim verborum, ut obruantur: totum quòd afficit, communis eſt notitia; haſce denique à veriſimili, à poſsibili, & à falſo, diſpeſce, diſiunge, diſſocia, per quæſtiones noſtras: quòd operoſum licet exiſtat, cùm nulla tamen ad veritatem exantlandam inſuper maneat via, vel heic, vel nullibi inſiſtendum eſt; haud mirum, interea, ex occulto naturæ ſtimulo, legem ſi poſtulent gentes univerſæ; Hoc ipſo enim notitias ſuas communes in ordinem redactas innuunt, recta ſubindè, ut conſcientiæ, detur norma: conſcientiam interea tanquam vinculum illud ſacrum, undè infima ſupremis connectuntur, habe; quô, ut nullum præclarius ſupereſſet medium, non eſt quod Deo Opt. Max. magis exprobetur, quàm quod neque cibum, neque veſtitum, citra media ſuppeditaverit: In ijs igitur, cùm non ſit, quod moleſtè feras, (magnoperè enim teipſum laudas) neque auctorem boni, incuſa, qui ex providentiâ communi, media ad ſalutem ſubminiſtrans, ex gratiâ faciet, ut illâ etiam in æternum frui poſsimus.

SEQVVNTVR

Seqvvntvr facultatum internarum objecta, & leges ex quibus conformantur: primò autem de ijs, quæ menti vindicantur, quas ſecundo loco ſequuntur corporearum facultatum objecta & conformationes, ut tandem in conſcientiæ conformationem, quæ non niſi in facultatibus totis ritè conformatis acquieſcit, deveniatur: quo in argumento, (quia auctores conſuli poſſunt) non eſt, quod prolixiorſim: à natura Boni, quòd ab omnibus tanquam commune objectum, facultatum internarum, proponitur, exordiemur; cùm enim facultas quæcunque interna verſetur, vel circa aliquod Bonum, ut illud conſequatur, vel circa aliquod malum, ut illud fugiat, eodem res recidet: mala enim averruncare eô fine expetimus, ut bonis fruamur; commune objectum igitur facultatum internarum erit *Bonum*: cùm autem omne bonum, ſit, aliquod intermedium, in ordine ad aliquid ulterius, uſque quò ad aliquod ultimum perveniatur, hoc ipſum tanquam ſummum Bonum habendum eſt; Cùm autem Beatitudo ſit omne bonum, & æternum ſit omne tempus, ſummum illud bonum erit *Beatitudo æterna*; neque igitur in voluptate, honore, divitijs, &c. quæ ſunt caduca, quæ ſunt particularia, quæ ſunt utique in ordine ad aliquid ulterius, ſitum eſt ſummum illud bonum: Proindè heic ſiſti nequit; ſed ad ulterius & quidem æternum aliquod properandum eſt; quod cùm hac in vita dari nequeat, (nihil enim heic non fluxum, non fragile) per mortem tanquam viam, iſtuc fiet tranſitus; novi quàm durus hic ſermo, ſed reſpice ortum, & credes: cogita qualis *γένημα* parentum arvo fueris, & ultra providentiam communem, gratiæ ſive providentiæ rerum particulari, ſuas tribue partes: Si enim vermiculo ex ipſa putredine tuâ progenito, Sol denuò conſpiciendus, immò & perfruendus

dus orietur, Temetipſum, æternis latitaturum tenebris exiſtimaveris unquam? *Abſit*. Meliùs adhuc tecum agi poteſt, iſtis excluſo; oculus quædam, fides, plura iſtis potiora, attinget; inter hæc, rerum ſeriem cape: Beatitudo æterna, eſt objectum neceſſarium inſtinctus naturalis, cujus ſumma lex, propria illa conſervatio, (intellige tam animæ, quàm corporis) quæ in omnibus deſcribitur; proximo ſequuntur loco internæ facultates, quæ eâ ratione inſtinctui naturali ſubijciuntur, quâ omnia in Beatitudinem æternam, tanquam finem ultimum relata ſunt: cùm autem omnes facultates internæ ad bonum aliquod, per ſe ferantur, ſequetur id eſſe maximè bonum, quod maximè facit ad Beatitudinem æternam: Quemadmodum igitur ſub inſtinctu naturali, facultates internæ, quas menti vindicamus, ita ſub iſtis, facultates corporeæ militant: Hic igitur eſt rerum ordo: varij interim dantur bonorum gradus, quarum diſpoſitio recta, penes conſcientiam eſt: communibus notitijs igitur, facultates internæ, (quas menti vindicamus) uti iſtis denique, facultates corporeæ imbuendæ ſunt; quâ ratione cunctæ facultates rectè conformatæ, in beatitudinem illam æternam, veriſsimum Dei Opt. Max. attributum, contendunt: Hanc igitur ſuô more, ſub ratione ſcilicet conſervationis propriæ, conſectantur omnia, (utcunque iſta denuò ab occultis Dei judicijs temperentur) & cùm hic diu ſtare loco neſciant, futurum aliquid (velut in utero clauſi) prætentant: Noſtra interea intereſt, ne ſpe excidamus, providentiam illam Divinam & univerſalem, & particularem, ubique experti; Reſtat, ut bonum illud, quòd tanquam Beatitudinis æternæ pars aliqua expetitur, ejuſque naturam, & varias acceptiones, quatenùs per vulgarem nomenclaturam licet, expendamus: quo in argumento, etiamſi nihil priùs habeamus, quàm ut verborum ordo & diſciplina quædam inſtituatur, nos tamen vulgaris ſermonis inconcinna,

&

& ἀνθρώπων natura ita turbat, ut (velimus, nolimus) in ſuum (quo abundant) ſenſum proſpiciamus Lectores, hæc noſtra detorſuros: utcunque igitur, quæ ſequuntur, cedant, diviſiones ſuprà allatæ, conſulendæ ſunt, & ex facultatibus objectis, & varijs eorum conformationibus (ipſo docente proprio uniuſcujuſque ſenſu) rerum diſtributiones petendæ ſunt: neque enim imponere, ſed veritatem puram & caſtam (hoc eſt legitimam facultatum cum objectis conformationem) exponere, hoc in opere propoſitum habemus: varias boni acceptiones in præſens excutiemus; quo in argumento, quia Bonum maximè affine eſt Vero, ejus norma, ex ijs quæ de veritate ſuprà explicavimus, deducenda eſt; rectè enim à Scholis Entis paſsio altera habetur. Eſt autem Bonitas quadruplex, ſcilicet in re, ſive objecto quocunque, in apparentia, in conceptu, & in intellectu. 1. *Bonitas* autem *in re*, eſt ejus ſignatura interior: eſt autem relatio rationis, qua acceptione nihil per ſe non bonum; calor febrilis enim, ut ſit malum, calor per ſe non eſt; omnia enim ad Analogiam ſuam terminantur. 2. *Bonitas in apparentiâ*, eſt emanatio ſignaturæ illius internæ, ſeſe explicantis juxta Analogiam, quam erga facultates internas obtinet, cujus cenſus, quodcunque gratum, pulchrum, &c. in rebus ipſis deprehenditur, enumerari poteſt; eſt autem altæ & penitùs reconditæ Analogiæ, Bonitas iſta; ſervat enim naturam ejus à quo deciditur. Ideò *pulchrum, gratum,* &c. in memoria ſervatum, nos afficere ſæpè adnotavimus, non ita, ſiccum, humidum; neque enim ex eorum ſpeciebus, areſcimus, vel humectamur; eſt autem realis conformatio iſta, & proindè conditiones ſuas deſiderat, quas eaſdem (modò te in Analogiâ internâ verſari cogites) cum ijs quæ ad veritatem apparentiæ deſiderantur, obſervare potes; neque igitur diverſæ dantur in iſtis regulæ, diverſo licet modo explicentur; Hoc interea maximè in eorum explicatione obſervandum, facul-

tates

tates internas (ſaltem) quoad conformationem perfectam, medium habere ſenſus externos; aliquando, licet ante externos ſenſus, aliquando etiam abſque illis, eorum aliquæ conformentur: ideò ad maximam diſtantiam pręſentiunt facultates internæ; qua ratione eorum aliquas, à ſenſuum conditionibus vulgaribus emancipari poſſe, tanquam ſecundam inter facultates externas & internas differentiam, adnotare licet. 3. *Bonitas conceptus*, eſt prima illa conformitas Bonitatis rei, ſive objecti, cum facultatibus noſtris internis, juxta apparentiam ſuam; à priori autem omninò diſtinguitur & iſta ex ratione, & quia conditiones diverſas poſtulat; ideò ſuum organum integrum, nullâ pravâ qualitate imbutum, & animi denique applicationem, in ijs quæ ad mentem ſpectant (tanquam peculiare) deſiderat; in quibus ideò quædam diverſa ab ijs, quæ ad externarum ſpecierum ſuſceptionem deſiderantur, dari oportet. Omninò igitur Bonitas apparentię, à Bonitate conceptus diſtinguitur, ſive res, ſive verba, ſive ſigna objicias; quo pacto quod bonum eſt in apparentia, ſive quod aptum natum eſt, ut ſit bonum, poteſt eſſe malum in conceptu, & vice verſâ; Hujus ratio, diverſa igitur, per communes notitias expendi debet, quod cùm ſit opus germanum intellectus, *Bonitas* iſta *in intellectu*, tanquam ultima bonitatis ſignatura, habenda eſt: quam ideò, conformitatem conformitatum prędictarum juxta Analogiam internam ſtatuimus; quo pacto ad amuſſim veritatis intellectus, expenditur: Cætera à prioribus petenda, uti etiam complexi boni ratio, neque enim heic de Bono, ſed de vero maximè inſtituitur ſermo: Quicquid interea hôc in argumentô dictum eſt, de Analogia rerum ad nos intelligi debet; in noſtrâ enim Analogiâ, ad Deum, notitiæ communes, primæ Bonorum rationes & normæ habendæ ſunt: Plurimæ igitur circa Bonum, notitiæ communes in nobis deſcribuntur: ideò de morali Philoſophiâ, ſummus conſenſus;

ſus, tota enim eſt notitia communis, quod in reliquis ſcientijs (niſi fortaſſe Mathematicas excipias) non datur: inde tantæ rixæ, jurgia, licet etiam ſub illis aliquæ notitiæ communes deliteſcant: Bonitatis interea rationem, tanquam ipſius universi arcanum, & unitatem ſacram, habe: cujus idcirco altiſsimam communionem obſervare potes; in notitijs igitur communibus, quæ magna quidem & tuta via, perſiſte, rectà enim ad fœlicitatem ducunt; neque igitur in peccatis immorandum, non ſunt enim notitiæ communes: te peccare debere nulla docebit Religio, lex, conſcientia; ſed contrà, te debere eſſe bonum, pium, juſtum, fortem, &c. nullo non adſenſu ſancitum eſt. Totum interea illud, quod bonum à malo in nobis diſtinguit, ipſa eſt dos naturæ: neque enim ab objectis habemus, ut hoc accipiamus, illud rejiciamus, ſed à nobis ipſis: hoc igitur invitis Scholis, ita noſtrum eſt, ita liberum eſt, ut terminis rerum claudi nequeat. Apage igitur veteratoriæ Scholæ raſam tabulam; ſenſum enim internum ritè conformatum in teſtimonium adducimus, quo pacto non opus eſt, ut diſcurrentium ineptias moremur, varias verborum acceptiones, quæ ad hoc argumentum ſpectant, explicabimus: quæ in triplici Analogiâ, conſtituta obſervamus: ſcilicet in Analogiâ inter Deum & hominem, inter hominem & res, in Analogiâ denique rerum inter ſe: conſideratur autem omne Bonum, vel tanquam præſens, vel tanquam præteritum, vel tanquam futurum: quam tanquam ſufficientem boni diviſionem, potiùs quàm ipſa verba, conſuli volumus, (utpotè quæ non tam rebus ipſis, quàm receptæ & vulgari Scholarum ſententiæ, maximâ ex parte accommodantur) ex quibus, quædam ad mentem, quædam ad corpus, quædam denique ad ea, quæ iſtis ſunt exteriora, relata ſunt: quo in ordine, Bonum commune, bono particulari, bonum animi, bono corporis, ipſa dictante conſcientiâ præponitur; ita ut ultimum depoſcant locum oblecta-

P menta,

menta, cujuſmodi ſunt poſt famem & ſitim, non jam quod repleat, ſed ipſa mattya & cupediæ, poſt abjectum animum, honores mundi: Ad ipſa verba regredimur, ut quantùm fieri poteſt, noſtram in ſententiam adducantur: circa *bonum* autem abſolutè dictum, verſatur facultas, quæ *amat*, cùm enim in beatitudinem æternam, tanquam ultimum objectum, feratur omnis facultas, illam ut concitatiùs ſectaremur, ſtimulum accepimus *amorem*. *Amor* autem omnis eſt, vel *complacentia*, vel *dilectio*: *Complacentia* eſt ſenſus boni, ſine appetitu unionis, *dilectio* cum illo, cujus cenſus habentur, *favor*, ſive *amor inchoatus*, *allubeſcentia*, *benevolentia*, *prolubium*, *expetitio*, *deſiderium*, &c. cùm conſideratur in Analogiâ noſtrâ ad Deum, vocatur *pietas*, *zelus*, *ardor*, in *cultum* & *venerationem* deſinens: in Analogia noſtrâ ad hominem vocatur *amicitia*, *charitas*, quæ cùm ulteriùs in primores fertur, in *honorem* & civilem quandam *obſervantiam* deſinit: quemadmodum quando in inferioris conditionis homines demiſſa eſt, *indulgentia*, *miſericordia*, & *compaſsio* vocari ſolet; Horum denique verba quædam, in Analogiâ rerum inter ſe uſurpari poſſunt, in quibus liberum per me ſit judicium & delectus, nos quidem turbant, enormia ut plurimum & abſona vulgi vocabula: ſenſus denique qui circa bonum, vel præſens, vel præteritum, vel futurum verſantur, varijs inſigniuntur nominibus: qui enim bono jam potiti ſunt, vocantur *oblectationes*, *gaudia*, *delectationes*, *voluptates*, *hilaritates*, *exultationes*, *alacritates*, *feſtivitates*, *jubila*, ex quibus quæ ſerena, ad mentem, quæ craſsiora ad corpus, quæ mixta ad totum compoſitum ſpectant: quę interea ad mentem, quæ ad corpus, quę deniq; ad utrumq; attinent, ex diviſionibus noſtris petenda ſunt: Ad ſenſus quos *iraſcibiles* vocant properamus, qui ſuo ut ſtent ordine, ſub prioribus militant: circa *malum* autem abſolutè dictum, verſatur *odium*: *odium* autem quodcunque eſt, *Averſatio*, vel *malitia*, *averſatio* opponitur *complacentia*,

centiæ, & eſt ſenſus mali, ſine appetitu vindictæ; *malitia* opponitur *dilectioni*, & eſt ſenſus mali cum illo; ſub quibus prodeunt, prout variè ad Analogias ſuas terminantur, *reluctatio, ira, audacia, temeritas, impetus, contemptus, deteſtatio, abominatio, furor, rabies*. Sunt autem ſenſus iſti omninò corporei, & brutales, ex humoribus motis oriundi: heic igitur haud aliter quàm in Beſtijs occultæ rerum Antipathię ſeſe explicant: quibus ſtimulus non rarò ab arbitrij libertate additur; heic denique leges actionum, & metæ imprimis, ſuſpiciendę ſunt (de quibus ſuprà) ut quid tuum, quid etiam alienum exploratum habeas; in quibus obſervandum eſt, nullam obtinere Analogiam directam, ad *primam cauſam*, eoq; nomine à facultatibus noſtris noëticis ſatis diſparari: Nemo igitur quod *Bonum* per ſe eſt, odiſſe poteſt: quatenus tamen falli contingit, etiam bonum (ſub ratione mali) odio proſequi non rarò evenit. Heic igitur error in diſcurſu caſtigandus, quo pactô totam *iraſcibilium* turbam ad Analogiam rerum ad nos, vel inter ſe, terminari comperies. Porrò ſenſus qui circa malum præſens verſantur vocari ſolent, *dolor, afflictio, vexatio, triſtitia, moleſtia*, uti circa præteritum *luctus, mœror, gemitus*; cum vero tanquam futurum proſpicitur, ſenſus oriūtur omnium teterrimi, cujus gradus (inter *timorem* & *deſperationem* medij) enumerantur, *dubitatio, metus, pavor, perculſio, conſternatio, exanimatio, tremor, horror, trepidatio, agonia, formido, terror, Ephialtes, ſtupor, extaſis*; ſunt autem affectus iſti, *averſatione* exceptâ (*averſari* enim poteſt mens noſtra, *odiſſe*, &c. non poteſt) planè corporei: probatur ex ſenſu craſſo; proindè à mente inaffectâ deſpici poſſunt: quæ ita in corpore, prout extra corpus, objectâ ſua ſpeculari poteſt, immota, inconcita: iniquè igitur, ſuo in domicilio, negant libertatem, quam extra illud tribuunt Scholæ: inconcuſſa igitur inquam, & tanquam officij immunis, niſi velit, totas ſpectare valet rerum actiones, mens noſtra: Eſt igitur hôc ipſô

primo motori, affinis mens noſtra, qui non motus, reliqua movet. Non mutat igitur, ſed vult mutationem in corpore, id eſt in mundo ſuo, per notitias ſuas communes, mens noſtra, quo pacto non patitur, ſed agit, ſuâ in latitudinis ſphęrâ, cùm quod Divinum in nobis eſt, pati nequeat: Sequuntur ſenſus, qui maximè in compoſitionem veniunt, & in quibus diſcurſus plurimùm eminet: cujuſmodi ſunt *Superbia, invidia, livor, ſuſpicio, impudentia, contemptus dignitatis, indignatio, perverſa lætitia*: Attamen te iterùm atque iterùm monemus Lector, ne verba, ſed res ipſas ex methodo noſtrâ exagites; in pluribus enim, non ſolummodò cum facultate objectum proponitur, ſed & medium ipſum conformationis, ut in *invidiâ*, quæ objectum ſcilicet *alienum Bonum* ſub ratione proprij mali, ſuſpicit, & *ſuperbiâ*, quæ *elationem animi*, & ejus *exceſſum* conſignificat; &c. Iſta igitur per ſe expendenda ſunt: Hæc autem de ſenſuum corporeorum & craſſorum nomenclaturâ breviter dicta ſunto; valere interea jubemus exſcriptores miſeros, qui facultates noſtras noëticas, in inferiori animæ parte, unà cum concupiſcibilibus & iraſcibilibus poſuere, cùm tamen & *ſenſus*, & *objecta* omninò diverſa obtineant: Iſtæ enim ad Divina non eriguntur, illæ non niſi in Divinis acquieſcunt: Quid opus enim, intellectu illo agente, poſt hanc vitam fuerit, niſi *amare, & Beatitudine ſuâ æterna frui* daretur? ſatis habeant igitur ſympathias & Antipathias ſuas, iſtâ in claſſe reponi; quarum ſenſus, particulares cùm ſint & caduci, exoletos, & ſenio marceſcentes comperient; quo tempore facultates Divinas, beatas, ſeſe ad æterna explicare, eaque anticipare, & quaſi præcipere, (modò conditiones adſint) animadvertent. Licet igitur in affectus corporeos ſeſe demandare poſſit mens noſtra, quatenùs communi bono proſpicit: quia tamen etiam abſque *amore*, pruritus, & titillationes ejuſmodi, in corpore plethorico excitari poſſunt; ideò *amorem* inter facultates

tes noëticas & Divinas, *concupiſcentiam* verò & *libidinem* inter corporeas ſtatuimus; quo pacto particulares admodùm & variæ eſſe ſolent: Ad leges conformationum accedimus, quo in argumento diviſionem noſtram ſolennem præmittimus, quæ quaſdam facultates Deo, quaſdam mundo Analogas, in nobis ſtatuit; quæ autem Deo ſunt Analogæ, menti, quæ mundo, corpori vindicamus; quarum conformationes legitimas, veritates naturæ, (ſenſu & homine interno atteſtante) vocamus: Neque igitur naturam, ſive providentiam rerum communem, convitijs ſuis deturpent hominum ingratiſsimi, ſed objecta & leges conformationum inveſtigent, ſine quibus neque ipſos ſenſus externos juvare comperient: omnis quippe veritas noſtra, ex alicujus facultatis & objecti conformatione (intercedentibus medijs, ſive conditionibus ſuis) ſuboritur, *fide* (id eſt ſenſu qui ex eorum conformatione debita oritur) ubique adſtipulante: facultates autem noëticæ & Divinæ objecta habent duplici in differentiâ conſtituta, *propria* ſcilicet & *communia*, qua ratione, à corporeis, (quæ proprijs objectis ſolummodò gaudere videntur) ſatis diſtinguuntur: Propria objecta facultatum internarum noëticarum ſunt *attributa Divina*; Communia objecta, ſunt *objecta facultatum corporearum*: corporea enim principia permeant, informant & illuſtrant facultates noëticæ Divinæ: Cùm autem tot dari facultates, quot ſunt attributa Divina, & vice verſâ ſuprà demonſtratum ſit; quædam facultates *Bonitati Divinæ*, quædam *ſapientiæ Divinæ*, quædam *Iuſtitiæ Divinæ*, quædam *providentiæ communi*, ſive *naturæ*, quædam *providentiæ particulari*, ſive *gratiæ*, &c. reſpondebunt: De maximè receptâ nomenclaturâ, hoc in argumento erit ſermo, neque enim ubique verba rebus adaptantur. Primò autem de *amore*, quia prima & quidem extra nos & in nobis facultas; *amant* enim, quæ non intelligunt, ſympathia ſi ſit amor, vide palmam, vide vitem:

vitem : vide teipſum. Primus affectus internus, fuit *amor*; facultas autem iſta, pulchritudini, & bonitati Divinæ imprimis, & totis denique attributis, quodammodò reſpondet: Nihil enim in Deo non amabile, etiam *Iuſtitia*; univerſo igitur Deo reſpondet facultas iſta. Quemadmodum tamen in ipſo Deo, attributa plurima, in unitatem Divinam compinguntur, ita *amor* noſter omnes ſub ſe facultates complectitur. Proindè rectè conformari nequit, niſi Deum, *toto animo*, id eſt toto intellectu, *toto corde*, id eſt tota voluntate, *totis viribus*, id eſt totis corporeis facultatibus rectè conformatis, amaveris: *probatur ex ſenſu interno, ritè conformato, ſeu verâ fide*. In Deo enim unicè acquieſcit facultas iſta, maximè denique in nobis ipſe eſt Deus: Ideò quantùm amamus Deum, tantùm nos amat ille, & uno eodemque affectu ſeſe ad delectationem prodit Deus Opt. Max. ſummum igitur beatitudinis arcanum, *amor Dei*, qui verus ut ſit, id eſt ſuis ex conditionibus conformatus, nunquam ſine *fide* deprehenditur: cogita interea, illum amoris ſenſum, non eſſe neque facultatem, neque objectum, ſed ipſum conformationis actum, hujus facultatis demùm copiam eo fine nobis factam fuiſſe, ne ingrati ipſa ex creatione efficeremur. Hanc igitur egenis, infirmis, indoctis, largitus eſt, ut haberet, quod rurſum acciperet Deus: cõmune objectum facultatis iſtius, eſt ipſe *amor corporeus*; ideò qui in propriam ſpeciem fertur affectus, nullâ illicitâ libidine, ſive concupiſcentiâ pollutus, tanquam humanus, à facultate conſulente bonum commune, deduci poteſt; quod quidem de alijs ejuſmodi affectionibus corporeis prædicari poteſt, quorum ſenſus admodùm varios & diſſimiles, in ſeipſo, nemo non comperiri poteſt; Hæc igitur ex notitijs communibus expedienda ſunt: ſequũtur ex nomenclatura vulgari, facultates quæ *ſperant*, *fidunt*, *confidunt*, *gaudent*, quibus demùm, ex *diſcurſu* ritè conformato, in ſubſidium venit *contemplatio*: ex quibus etiamſi quæ *ſperant*, *fidunt*,

ſunt, confidunt, non niſi gradu diſtare videantur, quia tamen *ſpes* ſine *fide*, non autem hæc ſine illâ deprehendi poteſt, eo uſque differentiam nacta ſunt: Conformantur autem rectè, ſi *amor* rectè conformatur, quemadmodùm denuò ex iſtis ritè conformatis, verum illud *gaudium*, ex vero *gaudio* denique, *Beatitudo contemplatione illâ* (de quâ ſuprà) inſignita inſurgit, harum igitur ſeriem paucis ſubtexere placuit, ut in alia fiat tranſitus: Circa communia objecta facultatum iſtarum, quæ ſunt corporea, non opus eſt ut prolixior ſim; ſatis eſt ex ipſo moroſo, & anxio ſenſu, modò rectè expendantur, iſta indicari poſſe: Facultates interea noſtras, ex attributis Divinis, & vice verſâ æſtima Lector, nulla enim prætereà datur ſine errore norma: Quæ intereà ad gratiã, ſive providentiam particularem ſpectãt, ſuo loco docebimus: ſatis modò conſtat, facultates, quę ad mentem ſpectant, cum Deo toto, tanquam objecto, cognato proprio, conformari debere: probatur, quod ſolus animum impleat: Quemadmodum igitur ſymbolum Annulo ſignatorio inſculptum, vacuo aliquo & lacunoſo intervallo diſtingui ſolet, ut lineæ figuram conſtituentes, ab invicem diſparentur, quod demùm cùm fuerit in materiam aptam inductum, peregrinam ſine læſione, non ſuſcipit impreſsionem; Ita quidem ex deſiderijs & votis noſtris, quæ vacuitates noſtræ ſunt, Dei Opt. Max. figura Ectypa (quæ in nobis) non ſolùm egregiè diſcernitur, ſed per illa ritè conformata, ἀποσφράγισμα totum ita determinatur & conſtat, ut qui diverſum ſuperinducere Characteriſmum attentârit, Imaginem & ſignaturam illam Divinam, (quam ſolus implet, complet Deus Opt. Max.) adeò deformare, & pro viribus ſuis deſtituere aggrederetur, ut Majeſtatis Divinæ læſæ, meritò damnaretur.

Ad corporeas facultates, illas nempè quas cum Brutis communes obtinemus, & quæ mundo reſpondent, accedimus; quas ex turbido ſenſu, & craſſo, quemad-

modum priores illas ex *ſereno*, & *Bono* innoteſcare, docuimus, in quibus obſervandum eſt, ſuperiores & noëticas illas facultates ad inferiora delabi, inferiores & corporeas non ita ad ſuperiora adſurgere; proindè odiſſe Bonum ritè intellectum non facile eſt, amare malum, ut in promptu ſit; errores interea ut in utriſque dentur, non tam in odium Boni, quàm amorem mali proclives ſumus; Cæterùm ſi debitæ conditiones adſint, Bonum *odiſſe* impoſsibile, quod in malo ex eâdem normâ dedolato, non contingit: Nemo enim in æternum non *amare* voluit, cùm vel hoc ipſum, quod in odio ſibi perperam complaceat quiſpiam, ex amore involuto aliquo & infœlici habeat: Nulla igitur objecta communia obtinent facultates, ſive principia corporea, ſed vel ſingula, vel ſaltem complicata ſuis objectis Analogis reſpondent; te in Analogiâ internâ occupatum, & facultates corporeas ſuccerni cogita: Primò occurrit *odium*, quod in *averſationem*, & *malitiam* (quæ *dilectioni* & *complacentiæ* opponuntur) diſtinximus. Proprium objectum facultatis quæ *odit*, eſt *malum*. Mala autem ex ſua optima definitione, judicantur ea, quæ ijs quæ bona ſunt in primis impedimento eſſe poſſunt; univerſas mali definitiones, huic noſtræ poſtponimus. Plurima in ſe habet definitio iſta, ſed quæ mittenda in præſens duximus; ad munus facultatum corporearum accedimus, cujus proprium facimus, ut iſta moveant. Quemadmodum igitur facultates noëticæ Divinæ circa finem, ita corporeæ circa media verſantur: Hoc interea cape, quod *averſari* poſsit, *odiſſe*, *iraſci*, *timere*, &c. non poſsit mens noſtra; cùm igitur ſenſus iſtos turbidos in te excitari advertis, cogita, mentem notitijs communibus, tanquam ipsâ naturæ ſapientiâ inſtructam, iſta ut è longinquo ſpectet, illis tamen conſulere, & remedia porrigere poſſe; ad conditiones ex quibus facultas iſta, (quæ multiplex juxta Antipathiarum numerum eſſe ſolet) cum objecto ſuo co-

gnato, legitimè conformatur, accedimus nempè: Si *malum*, *non auctorem mali odio habeas*, ſi *nullum indè percipiatur damnum*, ſi *nimium non ſit*, & ſimilia, quæ omnia ſunt notitiæ communes: probatur ex *ſenſu interno*: eædem, paucis mutatis, ſunt leges, *iræ*, &c. affectuum reliquarum hujus claſsis, quos ſuprà enumeravimus: ſequuntur facultates, quæ *dolent*, cujus egregius datur numerus; ideò nos pluribus ſimul frangi poſſe doloribus experientia docet: ut exteriores & craſsi intereà ad Medicorum proceres relegentur, ad internum illum affectum accedemus, qui à mente oritur, quo pacto fit, ut quod in nobis prævaricatum eſt, ſentiat: neque igitur in mente datur iſte ſenſus, cùm ſola ſit *fides*, *ſpes*, *amor*: ſed in corpore, ex impulſu mentis, quatenus partem aliquam Iuſtitiæ Divinæ ſupplet. Proprium autem objectum facultatis iſtius eſt *peccatum*, probatur ex *ſenſu interno*, & quod fruſtrà alibi impendatur: proindè neque amiſſos, parentes, liberos, divitias revocat. Cùm tamen pius ut fuerit, id eſt rectè conformatus, exindè Deum placari, ipſa conſcientia dictet: Iſta igitur à concionatoribus magno Bono noſtro excutiuntur; rectè conformatur, ſi *emendationem vitæ propoſitam habeas*, ſi *ſpem non excludat*, &c. quæ ſunt notitiæ communes: probatur ex *ſenſu interno*. Sequitur facultas quæ *timet*, quemadmodum autem *odium* circa malum jam factum, *ira* circa præſens, ita *timor* circa futurum aliquod malum verſatur: difficile autem eſt in affectu iſto, vel terminum ponere, vel modum: Quàm importunus ſit, interea ex eo conjici poteſt, quod ſæpenumero potiùs accerſat mala, quàm præcaveat; eſt igitur, (neque abſque cauſa) in aſsiduis hujus vitæ periculis, irregulare quiddam, & anomalum affectus iſte, ubique ſe immiſcens; vix enim datur abſque timore quies; niſi igitur in providentiâ Divinâ toti acquieſcamus (quam ideò tanquam optimam conformationis legem proponimus) mirè torquet ſenſus iſte: probatur ex *ſenſu interno*;

hiſce plurima addi poſſunt, quæ ex ſuggeſtis petenda ſuademus; *cavere* interea poteſt, *timere* non poteſt mens noſtra: timores igitur illi indebiti & prophani, ſunt odia quædam, & ignorantiæ; nunquam enim ſatis ut timeatur, Iuſtitia Divina, Numen ipſum, qui tremendum perhibet, blaſphemat. Proindè ex reatu tuô non ex conſilijs Dei æternis, mala tua deduci cogita; qua ratione timor Divinus, nunquam ſatis incutitur: ut enim reliquos ſuperare poſsis; ſub timore illô, quo, à Deo Opt. Max. ſive quidem à mente tuâ percelleris, etiam invitus ſuccumbas, oportet. Sequuntur ſenſus quidam complicati, quorum facultates conformantes, promiſcuè quodammodò circa Bonum & malum verſantur: de celebrioribus quibuſdam erit ſermo; iſtiuſmodi enumerantur *verecundia, miſeratio, æmulatio*; quæ rectè conformantur, ſi exindè ad virtutem ſtimuli addantur: probatur ex *ſenſu interno*: Hæc autem breviter de conformatione facultatum, quæ ad corpoream naturam ſpectant, juxta nomenclaturam vulgarem, dicta ſunto: in quibus ſatis fuerit methodum propoſuiſſe; iſtorum perfectio ſcholarum ſit negotium: modò juxta diviſiones noſtras, nomina adaptent: neque enim vulgatæ loquendi formulæ, in doctrinâ arduâ ſtari volumus: proindè opus integrum de affectibus ediſſe non profitemur. Quorſum enim in ijs de quibus ſummus datur conſenſus, prolixiores fuerimus. Nulla unquam tam Barbara extitit Natio, quæ virtutem, illâ ut exciderit, non amplecti voluit: eſt igitur notitia communis, & ſummum inſtinctus naturalis opus, tota moralis Philoſophia, & à natura potiùs, quàm teterrima vitia à nullis non habita odio, profecta: deſinant igitur naturam, ſive providentiam illam communem improbare, à qua niſi habeant omnes homines ut credant; cùm vera prædicantur, neque erit undè ulla afferatur fides; impiè igitur dicitur, naturam, ſive providentiam rerum communem, & gratiam, ſive providentiam

tiam rerum particularem in Antitheſi poſitas eſſe, vel inter ſe pugnare, cùm utræque à Deo Opt. Max. proficiſcantur: tota intereà attributa Divina ſimul operari, & uti in juſtitia, miſericordiam, ita in naturâ, gratiam, & vice verſâ eluceſcere, cogita Lector: iſta igitur, ut occulta Dei judicia temperent, non aliter tamen de actionibus Divinis exiſtimandum eſt. Heic igitur ex parte Dei Opt. Max. conſiderandum venit, cur vires, ſive potentiæ, ad *occidendum, fallendum, convitiandum, maledicendum*, &c. inditæ fuerint: In hijs igitur, & ſimilibus verbis, ante omnia videndum eſt, annon ſimul cum iſtis, objecta ponantur: Blaſphemia enim, & facultatem, & objectum denotat: iſta igitur imprimis diſcutienda ſunt, & convitium à Deo ſeparandum eſt, & videndum an convitiari liceat, cunctas enim facultates indebitè applicari, detorqueri, & loco moveri, ex *arbitrij libertate*, (ut taceam externas cauſas) non ſemel monuimus: certiſsimum intereà eſt, nullam facultatem (ubi conditiones adſunt) in objecto cognato proprio, pravam eſſe vel ineptam, modò hoc ſemper in animo habeas, naturam ſive providentiam communem, ultra media non ferri: neque enim cibum in os, vel ſtomachum ingeſſiſſe, vel abſque iſtis ſatietatem, ſæpè adnotavimus: quod cùm ignorent naturæ ſuggillatores, illam tanquam penitùs depravatam contumelijs afficiunt. Hoc igitur reſumimus, in objecto cognato proprio, nos poſſe *convitiari, occidere, fallere*, &c. ex parte enim Dei Opt. Max. licet *convitiari* peccatores, blaſphemos: licet *occidere* quæ nobis alimento eſſe poſſunt; ipſum etiam ſicarium qui nos adoritur, in propriâ defenſione *occidere* licet, alia ſi non detur commoda evadendi ratio: *fallere* tamen nunquam daretur, niſi nobis cum animalibus vafris res foret; ideò aves, feras, piſces, aliquando etiam fortaſſe ægrotos, & inſanos fallere, vel etiam ex parabolâ docere, licet, nulla ſi commodior ad eorum curationem ſuperſit via: *vafritiem* noſtram

interea, cuidam ſagacitati, ad naturam corpoream ſive belluinam in nobis ſpectanti ſuprà adſcripſimus, & quia turbat, & quia corporeis objectis ſolummodò gaudet, nihil enim in æternis proficere, ipſa conſcientia ſatis docet: Cui enim mortalium, ex verſutiâ ſuâ, vel Deum fallere, vel iter ad Superos parare licuit unquam? Immane igitur, quantum ſubdola omnis calliditas à verâ & conſummatâ illâ ſapientiâ hominis cuſtode, & procuratrici diſtat: At dices fortaſſe nullo pacto *ingratitudinem* propugnari poſſe; verùm enim verò ſi beneficium malo animo & inſidioſo conferatur, quidni ingratus fueris? non rependenda, ſed condonanda ſunt hujus modi Beneficia: Objecta igitur cognata, facultatum ſimplicium, ſive complicatarum (quorum egregius datur numerus) diſquirite blaſphemi, impij; nulla enim in objecto cognato, vel prava, vel inutilis datur facultas; neque ulteriùs Deum Optimum Maximum diabolicis veſtris calumnijs impetite: ſi intereà, luxatis facultatibus, quod malum eſt conſectamini, quod bonum eſt abdicatis; ſi vice Dei Optimi Maximi idola colitis; ſi facultates noëticas Divinas, tanquam corporeas turpiſſimè proſtituitis; ſi homines, immò Deum, tanquam feras vos fallere poſſe exiſtimatis; ſi fidem denique rationi præponitis, nonne totam excutitis ſtructuræ Divinæ fabricam; donorum quæ largitus eſt Deus Opt. Max. contemptores miſerrimi, liberi denique illius arbitrij, ſine quo illiberalia & neceſſaria eſſetis mancipia, jumenta, perditiſſimi violatores? Hæc igitur evolvite; & nihil in foro interno malum, niſi libertatem illam, ſine qua neque boni eſſe poteſtis, exiſtimate: gaudete igitur vos liberos eſſe, cum hoc ipſo ad imaginem Dei conditi ſitis; quod liberum eſt, Divinum eſt, infinitum eſt, proindè neq; ſeneſcere, vel terminis rerum claudi poteſt; gaudete vos liberos eſſe, invita enim & coacta, ſi eſſet in vobis iſta bonitas, aliquid Deo, nihil vobis ipſis tributum foret; ſed quia noſtram

noſtram fecit Bonitatem illam immenſa illa Bonitas, impertivit (pro gratiâ ſuâ infinitâ) undè etiam præmium ſperet miſer homo. Proindè gaudete vos liberos eſſe, id eſt malos eſſe poſſe, ut hoc ipſo, in bono complaceatis; nihilo ſegnius, totum illud quodcunque benè geſtum, Deo Opt. Max. acceptum referetis, ut qui Bonitatis iſtius auctor, & prima cauſa, utcunque agnoſcendus ſit; novimus plures ſupereſſe facultates, quarum nomina, neque adduximus, neque quidem adducere poſſumus: quod & olim Stagyrita queſtus eſt; cum tamen ex actionum & ſenſuum differentijs iſta inveſtigari poſsint, methodus noſtra conſulenda eſt; manca enim omninò eſt nomenclatura vulgaris: quàm optarem igitur verba confingi: dedecorum enim, in nobis anonymos exiſtere ſenſus. Cæterùm hoc aliorum ſit opus, ut tandem integra prodeat ars noſtra, & in omni dubio, ad facultatem, ex quâ probant, recurrendum ſit; unicum enim poſtulatum volumus, ex quâ facultate probas: ſi qui intereà, ultra facultates ſe ſapere poſſe exiſtimant, vel facultates ex indebitâ objectorum applicatione deformant, videant an non hôc ipsô inſaniant; ſed de iſtis vos ſatis monitos habet iſte liber; Ad *conſcientiam*, quæ niſi in totis facultatibus rectè conformatis acquieſcit, accedimus, ſub facultate autem conſciente, quæ aciem inſtruit affectuum totam & componit, ſenſus interni militant; eſt igitur ſenſuum internorum ſenſus communis. Habet autem objectum, reliquarum facultatum conformationem; proindè rectè conformatur, ſi facultates reliquæ rectè conformantur: probatur ex *ſenſu interno*: ſive igitur de Analogiâ rerum ad Deum, ſive de mutuâ illâ Analogiâ inter hominem & res, ſive denique de Analogiâ rerum inter ſe agatur, debita facultatum diſpenſatio, à *conſcientiâ* pendet; in cujus forum idcircò, notitias communes demandari, non ſemel obſervavimus; diſquiſitione ſua particulari intereà ut gaudeat facultas

 iſta,

iſta, videlicet, *an ita eſſe debeat*, in ijs tamen quæ ſunt ſupra nos, adeò non proficit, ut Divinas actiones minimè pertingat iſta quæſtio: quas impiè exagitari idcircò, non ſemel docuimus: à foro internô igitur incipiens, ad mutuam illam Analogiam inter hominem, & res, terminatur ſcrutinium iſtud: Hinc fit ut in Analogiâ, quam erga Deum obtines, nihil fœlicius occurrat, quàm *juſtè & ſapienter administrari omnia, etiamſi eorum cauſæ nos lateant*: Ideò omnia in Bonum cooperari, ſtatuendum eſt, utcunque tandem ab occultis Dei judicijs, temperentur: Quando verò ad Analogiam ſecundam, imò & tertiam ventum eſt, locum habet iſta quæſtio, & nihil non ſapienter ſciſcitari poteſt. Hôc igitur in foro, omnis cauſa noſtra dicitur, ut quæ unicum ſupra ſeipſum, agnoſcat Dei tribunal: quâ ratione, quæ in corporeo ſyſtemate peccant, caſtigari ſolent, facultates, ſpiritus, ſive principia, dum facit facultas iſta, (modò ritè conformetur) ut in illud quod prævaricatum eſt, animadverſum ſit: quâ ratione, Iuſtitiæ Divinæ partes ſubire ſuprà docuimus. Magnis interea intervallis in teipſo diſtare cogita, facultates Divinas noëticas quæ ſententiam ferunt, ab ijs quæ patiuntur; quod niſi apud te ſtatuas, neque animam à corpore, unquam diſtingues; huc uſque igitur, primo motori, qui non movens, cætera movet, finitimam & conterminam eſſe mentem noſtram ſuprà monuimus: ne interea ex iſtis, quæ paſsionem menti adimunt, te nimis exolvi credas: cogita quod in te patitur, ejuſque unitatem (modò velit Deus) in æternum pati poſſe, imò quod durius eſt, facultatibus Divinis ſublatis, & in Deum reſumptis, nihil manere quod ſolatio eſſe poſſit, ſed teipſum *odio, deſperatione, horrore* & *cruciatu*, deniquè perpetuò torqueri poſſe. Tuâ interea intereſt, ut ex facultatibus Divinis, quæ in te exiſtunt, corporea, dum tempus ſuppetit, colas, tuo ut potiaris mundo, quo majus

jus nihil, vel bonitati Divinæ convenientiùs excogitari poteſt : Reliqua ex notitijs communibus petenda ſunt ; ubi enim luculentiora, quàm in notitijs communibus deprehendi poſſunt, providentiæ illius univerſalis teſtimonia? quas igitur tanquam naturæ ſapientiam, doctrinam inſtinctus naturalis, & fidiſsimam veritatis Catholicæ normam habemus; quas etiam non ſolùm tanquam humani, ſed ipſius etiam Divini conſilij æterni univerſalis rationem ſuſpicimus, quas denique ad Imaginis Divinæ complementum in nobis, ex ſententia communi, unicè deſiderari, ſine blaſphemia, neque cogitari poteſt : Cùm interea ex harmonico mundi ſyſtemate, is detur rerum ordo, ut objecta facultatibus, & vice verſâ reſpondeant, notitias communes omni ex objecto, libro, ſermone, elice, ſepone, digere Lector : & huc uſque te ultra veritatem, potiùs quàm citra illam ſtetiſſe, cogita ; de hijs igitur, uti etiam de conſcientiâ, alibi inſtituetur ſermo, Ad ſenſus externos in præſens accedimus.

SENSVS

SENSVS EXTERNI, ita denominati non ſolùm, quia eorum organa ſitum externum poſcunt; ſed quia ex conformatione, extimæ rerum Analogiæ oriuntur; ſunt actus conformitatum objectorum, cum facultatibus illis in omni homine ſano & integro exiſtentibus, quæ à ſenſu aliquo interno immutato, ad particulares notitias Analogiæ rerum externæ ediſcendas, expoſitæ, tertiô locô, conditionaliter, & ratione ſenſus alicujus interni, tanquam cauſæ proximæ, & inſtinctus naturalis, tanquam cauſæ, ita remotæ, ut ſit nihilominùs magis principalis, verſantur.

VNo quaſi eodemque temporis momento operari videntur, in objecti cujuſcunque perceptione, facultates, præter *diſcurſum* cunctæ: diversè tamen cùm operentur, ſatis inter ſe diſtinguuntur: Haud facile eſt interea advertere, inter illas, quæ primò (ut aiunt) immutentur, niſi ordinem naturæ ſecutus, quis primò in omni ſenſatione inducatur affectus, ſenſu ſubtili expendas; quo modo aliquid in objecti cujuſcunque inſultu, ſive conformatione primâ, incuti ſenties, quod neque *color*, neque *ſapor*, neque *numerus*, neque *diſtantia*, neque *motus*, neque *quies*, &c. exiſtat. Hanc ipſam igitur immutationem primam facultatis alicujus internæ conformationi vindicamus, quæ ita ab inſtinctu naturali, ſive aliquâ notitiâ communi, prout ab illâ denuò ſenſus externus pendet: Eſt igitur ante ſenſum ipſum, obſcura quædam præſenſio ex mirâ rerum inter ſe cognatione oriunda, quod quidem Harmonico rerum ſyſtemati tribuimus; tertium igitur locum *ſenſui externo* vindicamus, cui cùm id munus obtigerit, ut externam Analogiam dimetiatur, & ſignet, univerſa terminorum extrinſecorum

trinſecorum notitia debetur: Neque igitur, ut prodromæ dentur facultates aliquæ internæ, ſine externis proficiant, vel hæ ſine illis, ſed reditu ad notitias communes, ſenſus internos, & diſcurſum, facto, rei notitiam integram abſolvunt: nunquam ſatis interea mirari ſubit Scholas, plures quinque ſenſibus non ſtatuiſſe; ridiculum diximus non dari niſi quinque ſenſus; tot ſunt ſenſuum, quot ſunt objectorum differentiæ, probatur ex ipſo ſenſu; quem quia negligunt ſuis in demonſtrationibus auctores; paſsim ineptiunt: ſed dicent, non dari plura ſenſoria, ergo neque plures ſenſus; negamus argumentum; plurima enim per eundem trajectum, intrare, & quidem confertim, omni in ſenſorio, ipſa experientia docet: ſed reſumimus propoſitionem, ergo, quia omnes externi ſenſus ad tactum reduci poſſunt, non erit niſi unus ſenſus: ſed foramina indigitabunt ſeptem conjugationibus nervorum, per ſenſoria diſſeminatis, oſſe denique ſpongioſo, ſive proceſsibus mammillaribus honeſtata; eſto, inſigniores quoſdam (ſi poros adijcias) in forum interiùs dari aditus; concedimus: Tunc igitur in limine hærens, totam ex portâ vel feneſtris deſcribes domum, de interna fabrica parùm ſollicitus? non negamus equidem, nihil eſſe in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu, ſed eâ lege ut univerſam differentiarum externarum, univerſam differentiarum internarum Analogiam huc compelles: Vide quæſo in quas anguſtias nos cogant Scholæ, dum nihil per ſenſoria immitti, nihil denique in intellectu exiſtere, niſi *colorem*, *ſonum*, *odorem*, *ſaporem*, *tangibile*, *magnitudinem*, *figuram*, *numerum*, *diſtantiam*, *motum*, & *quietem* (ut taceam denique iſta è quatuor qualitatibus eduxiſſe) contendunt; itane quæſo? quâ igitur in claſſe univerſam Analogiam internam, univerſa notitiarum communium dogmata, & ut paucis dicam, univerſam rerum nomenclaturam, (etiam in vocabularijs

traditam) reponitis? ſed pergunt, & colorem per ſe, ſubſtantiam ſive eſſentiam rei per accidens percipi volunt, quaſi eorum perceptioni quæ ex conſenſu univerſali agnoſcuntur, deeſſet facultas conformans; ſed nos dicimus ſubſtantiam per ſe, colorem per accidens deprehendi; ſubſtantia enim, ſive ſubjectum inhærentiæ eorum quæ abeſſe poſſunt, in rebus dari communis eſt notitia, quam turpiùs negabunt, quam occludent oculos, libertas ut ad utrumque detur. Quid opus eſt pluribus, tot dari ſenſus, quot ſunt objectorum differentiæ, ipſe ſenſus teſtis in objectis ſuis ſupremus docet? neque igitur hoc in argumento omnes moramur auctores, qui neque objecta propria facultatum, neque leges undè conformantur, neque denique ullam veritatis definitionem, in doctrinis ſuis præmisêre; tanquam errones igitur, non ſolùm intra ſeipſos, ſed quidem extra ferè ubique vagati ſunt: ut interea ſenſus externos ab internis diſtinguamus. *Primò* occurrit, hos circa Analogiam externam, illos circa internam verſari: *Secundò* horum ſpecies cùm intùs ſuſcipiuntur, feritatem ſuam deponere, ideò non urit ignis; ideò lupi & agni ſpecies, ſummâ concordiâ in memoriâ degunt; non ita ſpecies internæ; pulchrum enim & turpe, gratum, & ingratum, naturam eorum à quibus deciduntur ita retinent, ut nos eôdem modo afficiant. *Tertiò* ex ordine, quia externas ſpecies gratiâ internarum datas fuiſſe, ſatis conſtat. Quæ autem ad externos ſenſus ſpectant, ex definitione ſuprà allatâ petenda ſunt: Ne interea à communi loquendi conſuetudine nimis abhorrere videamur, univerſam illam à Scholis receptam nomenclaturam, circa rerum diviſionem, puta *colorem*, *ſonum*, *odorem*, *ſaporem*, *tangibile*, *figuram*, *numerum*, &c. inter externa recenſebimus. Quædam interea propria, quædam communia vocamus objecta, ex quibus quæ communia à recentioribus vocantur, puta *quantitas*, *figura*, *locus*,

cus, *ſitus*, *diſtantia*, *numerus*, *ordo*, *continuitas*, & *diſcretio*, *motus*, & *quies* non ideò communia haberi debent, qui eorum plurima ab una facultate percipiuntur, (cùm unicuique differentiæ ſua reſpondeat facultas) ſed eâ de cauſa, communia vocari poſſunt, quia per plura foramina ingeruntur: quæcunque igitur, alia ratione quam *gradu* diſtant, ſuis facultatibus proprijs Analogis gaudent, quod ſuprà adnotavimus: Ideò *quantitas*, omnia ſenſoria, *figura*, ſolummodò *viſum* & *tactum*, reliqua, plura vel pauciora ſenſoria juxta Analogiæ neceſſitatem trajiciunt. Quædam denique ad *figuræ* conformationem, quibus *numerus* opus non habet, quædam ad *diſtantiam* quibus *motus* non indiget, &c. poſtulantur, ex quibus ſatis patet iſta inter ſe diſtingui, cùm non ſolùm diverſum ſenſum inducant, ſed aliquid diverſum ad ſuam veram conformationem deſiderent: Hęc igitur ex rebus ipſis potiùs quàm auctorū ineptijs excutite tenebriones miſeri, neque à ratione alieni, ad auctoritatem, turpiùs quàm claudi ad grallas confugite: Quemadmodum igitur quędam facultates circa *ſonum*, quædam circa *colorem*, quædam circa *odorem*, &c. tanquam objecta facultatum ſuarum propria, ex communi ſententia verſantur: ita quædam facultas, circa *quantitatem*, ſive *magnam*, ſive *parvam*, ſive *craſſam*, ſive *tenuem*, ſive *longam*, ſive *latam*, ſive *æqualem*, ſive *inæqualem*, &c. Quædam circa *figuram*, ſive *rectam*, ſive *curvam*, ſive *aſperam*, ſive *levem*, ſive *obtuſam*, ſive *acutam*, ſive *concavam*, ſive *convexam*, &c. quædam circa *locum*, ſive *ſupernum*, ſive *infernum*, ſive *dextrum*, ſive *ſiniſtrum*, ſive *anteriorem*, ſive *poſteriorem*, &c. & ut paucis dicam circa reliquas differentias ſolennes, earumque cognatas qualitates verſatur; ex quibus aliqua, in quæſtione *quid*, aliqua, in quæſtione *quantum* & *quale* reſpondent; quædam denique facultas, eorum *gradus*, quædam, *ordinem* inſtituit; plurima enim non aliter, quam

gradu, vel *ordine* diſtingui, quæ tamen diverſam nomenclaturam ſortiuntur, non ſemel monuimus. Hæc igitur expendenda ſunt, neque enim ut per idem tranſmittatur ſenſorium, eadem facultas, circa *colorem*, *figuram*, *pulchrum*, *appetibile* verſatur; ſed unicuique differentiæ ſua reſpondet facultas: una igitur facultas *colorem*, alia *figuram*, alia denique *pulchrum*, ſive *proportionatum* expendit, hæc *laudat*, illa denique *expetit*: quod ut cætera taceam argumenta, ipſæ conformationum leges, quas diverſas in horum unoquoque comperies, probant. Velocitatem interea actionum in ſeipſo, qui demiratur, magnæ illius machinæ gyros, undè origo ſua ſuſpiciat, & internam, quam in ſe ſentit, veritatem agnoſcat: Hoc interea obſervatu dignum eſt, objecta, quæ plura pertranſeunt foramina, propiùs ad facultates Diuinas noëticas accedere; magis denique in ſeipſis eſſe neceſſaria; quæ enim ad corpus reſilire videntur, uti minùs neceſſaria, ita magis obtuſa in ſeipſis exiſtunt; ſed in argumento de ſenſibus externis, ſatis ab auctoribus ſudatum eſt: licet, in nullo, præter viſum, ſenſu ſubtiles eſſe videantur; quaſi vel inepti, vel ſordidi, vel nullis conditionibus proprijs, in conformatione ſuâ eſſent obnoxij; quod adeò verum eſſe conſtat, ut ad odorum differentias, nondùm excogitentur verba, ſed ad ſapores ſeipſum ſubducat, oportet, cui ſagacitas in odoribus proponitur, & diductis malis inhianti, & naribus, & palato ſimul ſapiendum eſt; ſed quidam *cerebro*, quidam *ſtomacho* gratus datur odor, de cujus natura diversâ ſtatim; pauca, interea de *viſu*, (quia hoc etiam in argumento, auctores conſuli poſſunt) more noſtro ſubjungemus; neque enim in ijs quibus abundè ſcaturiunt Scholæ, fontes turbare volumus; ſatis fuerit hoc in opere, veritatis definitionem, & methodum, artem denique demonſtrationis propoſuiſſe, in qua, niſi omnis facultas (cùm objectum proprium, & vera conformationis media adſint)

eandem certitudinem ac ipſa viſiva facultas ritè conformata, obtineat, fruſtrà veritate exantlandâ, impendetur tempus: Hæc igitur eſt ſententia noſtra.

Ad *facultatem viſivam* accedemus, cujus organum, pluribus encomijs celebratum, ſolis porta, Divinum membrum, animi ſpeculum, &c. à Scholis vocatur, non ſolùm enim internorum motuum indicia, ex oculis deſumuntur, dum in audacia proſiliunt, in reverentia ſubſidunt, in amore blandiuntur, in odio efferantur, in gaudio hilares ſubrident, in mœrore depreſsi langueſcunt, ſed tota etiam corporis ſanitas, vel morboſus apparatus, ex illis æſtimatur: Ideò ut valent oculi totum valere corpus exiſtimandum eſt, ſoli inſuper oculi, cœleſtia contemplantur, plurimas demùm differentias oſtendunt, optimè denique memoriæ & reminiſcentiæ famulantur, ut qui non ſolùm altiùs infigant ſimulachra rerum, ſed etiam penè deperdita fœliciùs per circunſtantias cognatas, revocent; eſt maximè tamen conditionibus expoſita facultas iſta, ut quæ ultra conditiones in principio libri allatas, objectum (non dico medium) illuminatum ad viſionem deſideret; quibus legibus nunquam errare datur, aliter licet & fallere poſſe, & falli in objectis ſibi creditis contingat. Iſtæ autem ſunt rationes, quod omnem veritatem conditionibus ſuis obnoxiam, adnotaverimus; cui enim bono *facultas viſiva* inſerviret, ſi *lumen, medium debitum, diſtantia,* &c. deeſſent? Sunt igitur conditiones, veritatum noſtrarum nexus & copulæ, quarum diſquiſitionem, veritatum noſtrarum candidatis commendatam volumus: leges enim ſive conditiones conformitatum intermedias qui habent, & ipſam objecti cujuſcunque conformitatem, ſive *caduca*, ſive quidem *æterna* ſpectes, habituri ſunt, neque deerit, modò iſta dentur, *fides:* ad differentias inſigniores, oculi humani, regredimur, inter quas, hominibus ſolis oculos variegatos datos fuiſſe,

cùm in cæteris animantibus, vel ſimiles vel parum certè diſsimiles, (equos ni fortè excipias) conſpiciantur, obſervant hiſtoriæ naturalis ſcriptores; denique Anatomici quos peritiſsimos tulit ſæculum iſtud poſterius, belluis muſculum, qui oculos in terram figit, obtigiſſe; quo liberatur homo, contendunt: & proindè ad cœleſtium contemplationem natum eſſe, rectè affirmant: an verò aqueæ an igneæ ſint naturæ, ſcholis diſceptandum mittimus. Hoc intereà certum eſt, lumen in oculo non eſſe illud quod videtur, ſicut etiam neque calorem in digito eſſe illum, qui tangitur; nihil niſi extra ſeipſum ſentit homo, etiam peregrinus eſt omnis qui irritat dolor, quem ſuperare ex potentijs internis, vel ſaltem cum corpore exuere potes; magnum eſt interim iſta ubique cogitare; neque enim tu, ſed ipſe tandem frangetur dolor: opportunè denique heic exagitari poteſt Quæſtiò nobilis, an apparentiæ, ſive ſpecies rerum (per quodvis ſenſorium delatæ) ab objectis realiter decidantur, an verò ſint defluvia continua, an verò eliciantur, & impragnentur ſpiritus, an verò per habitudinem percipiantur, an verò pluribus horum modorum, an verò nullis: Certè à nemine factum ſatis hâc in re arbitramur; cùm interea, (ut cunctos ſimul in examen ducamus ſenſus) mediorum quædam ſunt extra nos, quædam ſunt partes noſtri, ratio omninò erit diverſa; ignis igitur erit calidus, te abſente & frigido, durus lapis, etiam te invitô, & niſi figuræ rerum ubique ſerventur, larvata erit converſatio; quo pacto nimis ſubtiles exiſtimari poſſunt recentiores quidam, qui energias rerum univerſas, ad habitudines referunt: etiamſi enim objecta non ſine habitudine percipiantur, qui tamen ſenſum in rebus tollunt, hoc ipſum tollunt, undè ſibi credi poſtulant, ſi quid tamen ab iſtiuſmodi ſciolis prolatum eſt, quod veritatem ſapit, non ad ipſum ſenſum, ſed ad rerum Analogiam, ſive diſpoſitionem idoneam referri debet,

quam

quam, habitudinem, ſive, quodcunque vis, planè ſupra captum humanum, vocare licet; cujus rationem adeò miram agnoſcimus, ut neque montis magnitudo in pupillam invecta, vel demùm in occipite ſervata, repagula frangat. Quæſtio igitur, *quomodo* res percipiantur, in naturalibus eſt difficillima: quòd ex vi plaſticâ, diverſas alimentorum naturas, in unum compingente ſatis conſtat; neque enim quomodo vel unum alimentum, in diverſas partes, vel diverſa alimenta in unam abire poſſint, capies unquam; Heic igitur intra defectum conditionum ad veritates hujus claſſis requiſitarum ſeſe recipiat Lector, quod, novum non eſſe in Zeteticis noſtris fuſiùs docebitur; ad debitum viſionis medium accedimus, hujuſmodi autem eſt *aër, aqua, & diaphanum quodcunque*, in quibus quo ſimplicius, & purius, eò aptius omne medium exiſtimandum eſt; quod cùm adeò diverſum exiſtat, ut ad veritatum differentias, diverſum aliquid, in medio, ubique poſtuletur, ſimul doceri non potuiſſe in principio libri adnotavimus, ubi etiam conditiones reliquæ, quæ ad viſionem deſiderantur, cernere licet: Nos interea illam cognationem, quæ inter corporeas facultates & ſingularia, inter intellectum & univerſalia ſtatuimus; neque enim hæc abſque illis, vel vice verſâ percipiuntur: De erroribus viſus, ubi de errorum cauſis agetur, quem maximè hallucinari eâ de cauſâ obſervamus, quod pluribus, quàm reliqui ſenſus, conditionibus ſit obnoxius; quas (facillimas licet) cùm non advertat Schola, ignorat, illis deficientibus, & ipſam deficere veritatem; omnem veritatem igitur conditionibus ſuis expoſitam cogita Lector; quæ ſi dentur, neque facultates, neque objecta nova defutura eſſe, etiam in infinitum, cogita: ſine conditionibus denique, neque illas, quibus potiris, juvare poſſe, ſed te obſcurum, abſurdum, inſipientem fore. Hæc autem breviter de facultate viſivâ dicta ſunto; cùm, hoc etiam in argumento,

uti

uti etiam circa colorum differentias, auctores utiliſsimè conſuli poſsint.

Sequitur *facultas audiens*. Objectum facultatis audientis eſt ſonus, ſonorum autem differentiæ recenſentur, *acutus*, *gravis*, *aſper*, *obtuſus*, &c. debitum tranſitionis medium, eſt, *aër*, & (ut quibuſdam placet) *aqua*, quod ex ranarum coaxatione probare conantur; rectè conformatur, ſi conditiones adſint, quas in principio libri attulimus: Per foramen autem organi auditus, plurima ingeruntur, quæ idcircò, ſuas proprias conformationum leges poſtulant, puta, *numerus*, *proportio*, *harmonia*, *objecta intellectus*, *fidei*, &c. rectè interea dicitur cœcos habentes auditum, eſſe ſapientiores, quàm ſurdos habentes viſum: eſt enim auditus ſenſus diſciplinæ, modò fidem intelligas, non illam, quæ ex narrantis auctoritate pendet, ſed illam, quæ ex debita facultatum conformatione oritur, hæc quia in nobis, illa extra nos, fundamentum relationis obtinet; qua ratione veritatem rei, à veritate intellectus imprimis diſtinguimus; cùm igitur ex doctrinis, fidem, ſive ad ſenſum internum excitari advertis, vide an objectum de quo agitur, ſub ratione *veriſimilis*, *poßibilis*, vel quidem ipſius *veri æterni* conformaverit; eveniet enim, ut *diſcurſus* præceps, iſta minùs expendens, ex toto temeraverit; adeò ut *veriſimile*, vel *poßibile*, pro vero, vel vicibus verſis, accipiat. Hæc igitur imprimis æſtimanda ſunt, niſi credulitatem, loco veræ fidei adhibere volupe ſit; ſuam interea fidem præteritis, uti etiam futuris non ſolùm concedimus, ſed tanquam neceſſariam flagitamus certè; eâ lege ut à notitijs communibus, ſive veritatibus æternis univerſalibus diſtinguantur, & ab illis ubique ſuam aucupentur fidem: præterita enim tanquam veriſimilia, quoad nos, futura denique tanquam poſsibilia haberi, docebunt notitiæ communes: quas ita veneramur ubique & ſuſpicimus, ut exindè Deus Opt. Max. Pater communis,

munis, maximè agnoſcatur; verus igitur ut ſit veritate rei, liber quicunque, tua è teipſo veritas deſumenda eſt; propoſitiones interea ſingulæ, per *Zetetica* noſtra, expendendæ ſunt, ut non ſolùm in quâ quæſtione prædicatur, ſed ex quâ facultate illius veritas probari poſſit, exploratum habeas, alia ad veritatem cùm non ſuperſit via: notitias interea communes potiùs, quàm turpiſſima ſcelera à Natura (ſcilicet rationali) ortum ducere cogita: mali enim, imò peſſimi, ut dentur quàm plurimi, illos ita debere eſſe, nulla communis notitia docebit unquam: neque igitur Naturam, ſive providentiam rerum communem, blaſphemiis ſuis impetant hominum ingratiſſimi, ut Gratiam ſive providentiam particularem commendatam habeant, quaſi ſimul ſtare loco non potuiſſent, attributa Divina, & in Deo darentur contradictoria. Hanc igitur ut ſuperet Gratia, ſive providentia particularis (neque enim in operibus ſuis, imò nec in ſeipſo terminum invenit Deus) malum eſſe non poteſt, quod Dei Opt. Max. opus quotidianum (undè enim prætereà rerum natura?) viſitur: Hæc igitur animo ut infigas tuo, paſſim & quidem ſub titulo auditionis inculcanda duximus, Lector: Ad organum auditus, ſive officinam auris accedimus, in quibus *labyrinthum*, *incudem*, *malleum*, &c. inſpicienda conſulimus, de quibus Anatomes periti, plurima obſervatione digniſſima proferunt; ſummum interea conſenſum, inter aures, Laryngem & Palatum comperies, propter diſſeminationem conjugationis nervorum, quæ in iſtas partes diffunditur: *vox* deindè animatis, *ſonus* inanimatis tribuitur; quædam denique cum imaginatione, quædam ſine eâ in homine deprehenditur: qua ratione *verba*, à *tuſſi*, *ſcreatu*, &c. diſtinguimus; videtur autem *ſonus* quicunque, eſſe *materiale* quiddam, neque enim vento adverſo, tam facile, quàm illô ſecundô percipitur: pulchrè deindè perhibetur, eſſe ex conatu aëris involuti, & condenſati, in obſtaculo

ſolido: ipſum enim eſſe conatum, abſurdè dicitur: de erroribus auditus, qui plurimi eſſe ſolent, & altos incutere terrores, ubi de errorum cauſis tractabitur: Nunquam interea ſatis mirari ſubit, *Laryngem* illam, in ſummitate arteriæ tracheiæ poſitam, è cujus cavitate aëre repletâ, vocis prima quædam materia deſumitur; quæ cùm ſubindè à linguâ, modò ad fauces allidente, modò flectente, modò premente, modò ſe dilatante, &c. articulata fuerit, totum vocis myſterium abſolvit: cujus ſummam refractionem obſervamus; ſi enim rectè percurreret ſemper, nemo ſeipſum audiret loquentem, quod plurimis moleſtum fore, qui ſibi in ſuo dicendi genere complacent, arbitramur.

Sequitur *facultas odorans*, quæ medio inter ſenſus externos reponitur loco; *odorum* autem differentiæ enumerantur, *crudus*, *ſuavis*, *fœtens*, *putredinoſus*, *marcidus*, *viroſus*, *teter*, *dilutus*, &c. quibus ſaporum differentiæ, puta *acer*, *acidus*, &c. ipſorum denique florum, herbarum, radicum odores varij, puta *Roſæ*, *Hyſſopi*, *Angelicæ*, &c. adjici poſſunt; de quibus hanc accipe veritatem, *quæ uno eodemque modo afficiunt facultates noſtras, eadem erga nos eſſe, nova niſi eaque valentior detur ſignatura*: ſed hac de re, ſtatim, ubi ſagacioris Philoſophiæ Methodus proponitur; Medium conformationis debitum *aëra* volunt & *aquam*, (quod exemplo piſcium probare aggrediuntur) Auctores; reſpectu noſtri tamen, unus *aër* aptum erit odorum vehiculum; ſi igitur conditiones adſunt, quas in principio libri attulimus, & debitum iſtud medium, *facultas odorans* rectè conformatur cum objecto ſuo: de *organo* facultatis iſtius diſceptatur adhuc; certum eſt, principium habere in naribus; hiſce enim obſtructis, planè nihil odoramur; cùm verò de inſtrumento proximo agitur, non immeritò dubitari poteſt: quia tamen ſeptem illæ nervorum conjugationes (quæ à cerebro propagatæ, ſenſoria noſtra pertranſeunt)

tranſeunt) reliquorum ſenſuum *organa* immediata rectè perhibentur, veriſimile omninò eſt ad oſsis illius, quod cribri inſtar perforatum eſt, inferiorem partem, ob mollitiem ſuam, os ſpongioſum nuncupati, odorum acrimoniam, retundi, præparari, & tranſmitti ad proceſſus mammillares, qui nervi ſunt molliſsimi, & facultatis odorantis inſtrumenta proxima: eſt autem craſſæ voluptatis & moleſtiæ ſenſus iſte, & proindè corporeus ſenſus: ideò nihil ferè commune cum *viſu* vel *auditu* obtinet: quâ ratione ineptè, vel non omninò de *numero*, *figura*, *motu*, *quiete*, &c. judicat, *tactu* licet, qui reliquorum ſenſuum baſis, etiam & iſta percipiantur; cur verò acutior fuerit brutorum ſenſus, ratio reddi poteſt, quod cùm in illis ſenſus ſit diſciplinæ, neceſſarium fuit ſagacitate ſummâ, ut victum conquirerent, &c. prædita fuiſſe: Naturam autem in neceſſarijs non deficere non ſemel monuimus: Noſtram intereà in odorando hebetudinem, non tam ad pituitoſum cerebri defluxum deferimus, (quod cæteris animantibus rarò contingit) quàm, ad illam ipſam naturæ providentiam, quæ nobis cavit ne excellenter afficeret ſenſus, ex quo nemo proprium pateretur odorem; An verò plures rerum differentias oſtendat nobis, quàm brutis, ſenſus iſte, non abs re diſceptatur: certum eſt *odores*, in diversâ admodum Analogiâ eſſe conſtitutos; ideò qui nobis *gratus* odor, brutis *ingratus* eſſe ſolet, & vice versâ: quo pacto, in illis ſenſus diſciplinæ, qui in nobis voluptatis & moleſtiæ ſolummodò eſſe videtur; in ijs tamen quæ ad corpus & alimenta ſpectant, ſi non optima, ſaltem prima indicia ex odoratu deſumi debent: Duplex interea odoris genus, adnotavimus; qui *cerebro*, & qui *ſtomacho* gratus; de poſteriore illo odoris genere, hoc cape: *ubicunque & in odoratum & guſtum, gratus inducitur ſenſus, alimentum eſt ſanum*: æquè interea & ab *inſipido* ac *inodorabili* abſtinendum, niſi ubi ab experientia juvamur: tam enim ex

nullo odore, vel *guſtu* (neque enim ſignantur iſtiuſmodi) quàm ex *ingrato*, nos monitos habet Natura, ſive providentia rerum communis: ſenſu interea ſubtili opus eſt, ut odorum differentiæ juxta diviſionem modò allatam, expendantur: Neque igitur,tanquam alimenta *ſana* Moſchus, vel Zibetta porrigenda ſunt, quia *cerebro* potiùs quàm *ſtomacho*, gratus eſt iſtorum odor: Crudum interea odorem coctione juvari, & Pharmacopœæ, & ipſæ popinæ docent: normam interea alimenti ſani,hanc accipe, naſutis certè ſcitu digniſsimam :- Maxima igitur inter *guſtum* & *odoratum* datur affinitas, ita ut omnia *odorabilia* ſint *guſtabilia*, & vice verſâ,ut plurimũ,modò rumines,& reliquę conditiones adſint,quas in principio libri attulimus: non diffitemur interea quædam odore ingrata, ſatis tutò intùs ſumi poſſe; ſed ſi benè rem expendis, & in iſtis *ſtomacho* gratum (*cerebro* licet ingratum) ſubeſſe *odorem*, comperies; quod in Allio, &c. ſatis conſtat. Hæc igitur ſenſu ſubtili expendenda volumus; ut tandem ad guſtum, cum quo & odoratu ſummæ nobis intercedunt neceſsitudines, deveniatur: hanc tamen eo nomine perfectiorem exiſtimamus, quod propiùs ad tactum accedat, quo humanum genus inter cætera animantia pollet. An verò odores ſint *materialis*, vel *immaterialis* Naturæ, ſcholæ (neſcientes tamen quid ſit materia) exagitant: *materiales* eſſe teſtantur, diſsipari à ventis, reſpirando hominem olfacere, hunc odorem illum expugnare; è contrà communicari ſurſum & deorſum, & ad latera, & longiſsimè percipi, quaſi in inſtanti, *immateriales* eſſe ſuadent; ad uſum facultatis iſtius in re herbariâ (cui maximè inſervit) accedemus: quemadmodum igitur in alimentis, ita in medicamentis, prima indicia ex odore deſumenda ſunt: fallaces enim (quicquid Neoterici dicant) ex viſu deſumuntur ſignaturæ: neque denique remedia ſelectiora ex ſignaturâ externâ produntur, licet in ijs quæ moram non patiuntur,

remedia quædam ipſi adſpectui ſatis oſtendantur, ut in ſerpentum morſibus, &c. Primæ igitur partes *odoratui*, ſecundæ *guſtui* tanquam facultatibus cognatis, hoc in examine debentur.

Facultatis quæ guſtat, *objectum proprium*, *eſt ſapor*, medium debitum eſt *aqua quædam ſalivalis inſipida*, quæ ſi adſit, & conditiones, quas in principio libri attulimus, rectè conformatur facultas iſta: ſaporum autem differentiæ enumerantur, *crudus*, *coctus*, *dulcis*, *amarus*, *acerbus*, *acer*, *acidus*, *ſalſus*, *adſtringens*, ſive *auſterus*, *pinguis*, & ipſe *fatuus*, ſive *inſipidus*, qui ex privatione ſaporis, percipi videtur: Dantur etiam plurimæ aliæ ſaporum differentiæ, nominibus carentes, quod ex herbarum, radicum, &c. varietate ſatis liquet; in quibuſdam demùm luxuriantur nomina; *ponticus* enim & *ſtypticus* eodem, cum aliquibus ſuperiorum recidere videntur; ſapores denique plurimos comperies ex iſtorum pluribus compoſitos, *dulce* enim & *amarum*, & *ſtypticum* quoddam obtinet roſa: De *ſaporibus* interea, uti de *odoribus*, ſcitu dignum eſt (uti nuper diximus) quæ uno eodemq; modo, afficiunt facultates noſtras, eadem erga nos eſſe, nova niſi, eaq; valentior detur ſignatura: Acutum interea expoſcimus ſenſum, qui & differentias ſaporum exactè calleat, & unicuique ſapori ſuam agendi efficaciam ſeorſim vindicet, ut tandem, quantùm *amaro*, quantùm *acido*, &c. in varia illa ſaporum compoſitione, & miſturâ deferri poſſit, perſpectum habeat: ut ſaporum interea definitiones aliquas, ex Scholarum ſententia aggrediamur. *Crudum* ſaporem illum vocamus, qui à coctione juvari poteſt; *coctum*, qui à cruditate incipit; *dulcis* ſapor ille eſt, qui linguæ oblitus, inæquales ejus partes, æquat cum delectatione, ejus fibras leniens, & quodammodò blandiens, cujuſmodi eſt *lac*, *ſaccharum*, & *fructus quidam maturi*: de ſapore iſto obſervant Medici *citiſſimè in choleram converti*. *Amarum* ſaporem

rem definiunt eum, qui linguam detergens, moleſtè exaſperat, cum aliqua ipſius ſubſtantiæ colliquatione: De *ſapore* iſto notant, primò, *omne amarum eſſe calidum*, *opio excepto*, quod quia ex novis ſignaturis *fœtore* ſcilicet, & *gravedine* ſeſe prodat, quod denique ad contrectationem, *lentum* & *ſpiſſum* manibus hæreat, quod denique ad *guſtum* os adurat, nos ſatis monitos habet, plurima in compoſitionem ingredi, & proindè diſsimilium eſſe partium; circa *opium* igitur plurima inter ſe conferre oportet, qui ejus vim & agendi efficaciam exploratam habere vult; de cujus methodo ſtatim: ſecundò obſervant Medici, *amarum ſaporem minimè putreſcere*: tertiò *pro alimento ab omnibus animalibus reijci*: ad medicamentorum igitur claſſem pertinet ſapor iſte; de quo obſervant Medici, *omnia amara in ſuo genere, quantò magis amara, tantò magis eſſe ſana, in ſua ſpecie, una Aloe exceptâ*; nempè quia ab extremis, in unoquoque genere, abhorret Natura; Maximè autem prodeſt ſapor iſte, cum ſtypticitate conjunctus. Ideò Abſynthium inter amara, maximè eſt ſanum, non ita acido-amara, ut fructus immaturi, & mala perſica; *Acerbus ſapor* quibuſdam *ponticus*, ſive *ſtypticus* ille eſt, qui linguam exiccat, conſtringit, & exaſperat, & ab *auſtero* differt, quod hic ad humidum, ille ad terreum vergat; ſapor iſte in *ſorbis immaturis*, & *meſpilis* deprehenditur: de ſapore iſto obſervant Medici, eſſe *frigidum & ſiccum*, proindè ex coctione parum, vel nihil juvari; *Acer* (omnium calidiſsimus) ille eſt, qui mordicat, rodit, & exurit ut *euphorbium*, *thymelæa*, *pyrethrum*; Acrium autem plurima recenſentur genera, puta *igneum & ſiccum*, ut *calx*: *igneum & humidum*, ut *cæpe*, *allium*; *cum igneo humido ſiccum*, ut *galanga*, *piper*: quæ magis moderata in *Hyſſopo*, *Thymo*, &c. ſentiuntur, alia *acria & acida*, ut *oleum vitrioli*: alia *acria & ſtyptica*, ut *Epithimum*: De *ſapore acri* obſervant Medici, *eſſe per ſe inimicum naturæ*; *ex admiſtione tamen al-*

terius

terius ſaporis, ſanum eſſe poſſe, maximè cùm in humores difficulter reſolubiles impingit; *Acidus ſapor* ille ſtatuitur, qui linguam vellicat, ſine calefactione, qualis ille qui in *ſucco limonum, narantiarum, oxalidis*, &c. Miſcetur cum *dulci*, ut in *malis punicis*, cum *amaro*, ut in *malis perſicis*, cum *acri* ut in *aceto*, cujus ſapor proprio nomine, *acetoſô* ſcilicet gaudet: *Salſus ſapor* ille eſt, qui linguam detergit, & abluit, adeò remiſsè adſtringens, ut hôc ipsô, ab *auſteris* & *acerbis* maximè diſtinguatur; eſtque vel naturalis, ut in *ſale foßili*, vel ex arte, ut in *cineribus*: In herbis etiam, quæ ad mare creſcunt, deprehendi ſolet ſapor iſte, maximè verò in ijs quæ ab æſtu maris alluuntur. Huic finitimus, *nitroſus*, vocari ſolet, *ſalſus*, cum *adſtrictione* quadam: de ſapore autem ſalſo obſervant Medici, *maximè eſſe putredini contrarium*: *Auſterus ſapor*, quibuſdam *ſtypticus* eſt ille qui linguam vehementer exiccat, exaſperat, contrahit & adſtringit, cum refrigeratione; eſtque peculiaris *malis cotoneis & pyris agreſtibus*, ab *acerbo* autem differt, quod ſit magis *aqueus*, magis adſtringat, & exaſperet; de ſapore iſto obſervant Medici *fluxiones repellere*, *coctione juvari*, & *alimentum fieri poſſe*, denique *ubicunque admiſcetur, in melius reliqua cedere*. *Pinguis* ſive *unctuoſus*, ſive *oleoſus ſapor* ille eſt, qui eâdem ferè deſcriptione cum dulci gaudet, niſi quod hic magis delectet. Hujus generis recenſentur *Butirum*, *medulla*, *oleum*; admiſcetur autem, cum *aqueo*, ut in radice *altheæ* & *liliorum*; de ſapore iſto obſervant Medici, *intus ſumptum eſſè citò inflammabilem*; eſſe autem propriè *vulnerarium* (quia ad tactum potiùs, quàm guſtum ſignatur, *& proindè dolores externos ſedare*; *Inſipidus ſapor*, ſive *fatuus*, eſt quædam ſaporis privatio; invenitur autem in *aquis* quibuſdam & *citrullo*, &c. de *ſapore* iſto, obſervant Medici, ad frigiditatem deflectere, & proindè omne alimentum ex inſipidis eſſe pituitoſum: Plurimi prætereà ſubſunt ſapores, nominibus

nibus carentes, quorum notitia ex rebus ipſis ſigillatim (abſque ingluvie, ut debita adhibeatur mora) deſumenda eſt; quantùm interea in varia & complicata illa ſaporum compoſitione, unicuique agenti deferri poſsit, tuâ imprimis intereſt ut expendas; quemadmodum etiam an nova aliqua detur ſignatura: ita enim inſtructus, & rectè de notis, & caute de novis decernes; *Quæ enim uno eodemque modo afficiunt facultates noſtras, eadem erga nos eſſe, nova niſi, eaque valentior detur ſignatura*, non ſemel monuimus; iſta igitur in rerum naturalium inveſtigatione vera eſt methodus, partim à *notitijs communibus*, partim ab *experientia* deprompta; Quæ inſuper addit tempus, reponenda ſint; infinita enim in re herbariâ, & tota denique *odorum*, *ſaporum*, &c. claſſe incomperta deliteſcere, quæ dies doceat, nemini dubium exiſtimamus; Pulcherrima conſectaria ex iſtis educi poſſunt, ad hiſtoriæ naturalis ſcientiam mire conducentia: non ſolùm enim quæ *ſana*, ſed quæ *pharmaceutica*, quæ *vulneraria*, denique docet methodus iſta: ad ſeparationem intereà in miſtis deveniendum eſt, niſi ubi tota herba, totum compoſitum confert; cui miniſterio proprium in naturalibus *ignem*, quemadmodum in ſcibilibus *rationem* dicavit natura, quam ultra *media*, non ferri, ſæpiùs inculcavimus; ubi intereà *malum*, ibi *bonum* obſervant, qui naturæ hiſtoriam callent: qua ratione licet ea quæ penu ſuo ſubterraneo recondidit, abdidiſſe videatur Natura, ſive providentia rerum communis, ex illis tamen per *ſeparationem*, remedia potentiſsima, elici poſſe, poſterius iſtud ſæculum expertum eſt: quæ deterrima igitur exiſtimantur, ex præparatione & applicatione debitâ fiunt *bona*: extra Analogiam ſuam autem, & conformationum leges, & optima quæcunque *mala* redduntur: in hijs igitur ſagacem, & ſolertem expoſcit natura diſcipulum; ut interea ſignaturas, ex quibus ſive alimenta, ſive medicamenta

menta explorata habeas, præmittamus, ad memoriam revocandum eſt, quodcunque, odorem *ſtomacho* & ſaporem *palato* gratum obtinet, alimentum eſſe ſanum, & intùs tutò ſumi poſſe, adeoque ubi iſtæ conſpirant ſignaturæ, nihil periculi ſubeſſe, quam igitur tanquam alimenti ſani normam ſtatuimus; ubi denique ingratus, teter, & *nauſeabundus* (quem ſubticent Medici) vel quidem nullus nos afficit odor & ſapor, medicamentum ut eſſe queat, inter alimenta reponi non poſſe: ſignaturas intereà, quæ in delectu, ſive alimentorum, ſive medicamentorum in re herbariâ, ſint maximè ſpectabiles, habe Lector: ad viſum occurrunt primò *locus*, & *tempus*, & deindè *magnitudo* vel *parvitas*, *numerus*, *figura*: ad tactum ſeſe produnt, *durities*, *mollities*, *lævitas*, *aſperitas*, *acuties*, *raritas*, *craſſities*, *tenuitas*, *gravitas*, *levitas*, *lentor*, *friabilitas*, &c. ex *odoratu* & *guſtu*, ultimis & proprijs iſtorum indicibus, cunctæ quæ ſuprà adduximus differentiæ, puta, *crudus*, *amarus*, *acer*, &c. expendendæ ſunt, quibus inſtructus, & illis denique quæ nuper attulimus concluſionibus, quas, ut plurimùm, à Medicorum proceribus hauſiſſe profitemur, nihil non experiri juvabit: quod interea quædam ex *auditu* percipiantur, ut in ſemine *cartami*, & *caſſia*, ex accidenti provenire exiſtimandum eſt: Primò igitur occurrit *locus*, qui an ſit *ſilveſtris* & *incultus*, an verò *cultus* & *domeſticus* expendi debet; deindè an *incolam* præ oculis habeas, vel *plantam peregrinam*: poſteà an in loco *aprico*, & *Soli expoſito*, an verò in *obſcuro* & *tenebricoſo*, an in *monte*, *valle*, *campo*, *palude*, vel circa *fluvium*, vel circa *foſſam* creſcat, an demùm in *loco congeſtitio*, & *fimoſo*; an verò *proventu gaudeat libero* & *ſpontaneo*: an etiam, terra ſit *calida*, *frigida*, *humida* vel *ſicca*; an verò ſit *metallica*; mutationem enim aliquam inducunt iſta omnia: deindè an fuerit ex *primâ intentione ſeminis*, an verò *hermaphrodica*, vel fortaſſe *degener quiddam*; in quibus

omnibus obſervandum eſt, quæ loco libero naſcuntur, meliora eſſe in ſuo genere, quàm quæ hortis ſuburbanis putidis naſcuntur; calida, denique in loco frigidiore eſſe meliora, & vice verſâ; ſexcentæ denique hujuſmodi obſervationes, advertendæ ſunt; Sympathia rerum denique & Antipathia, cùm doctior evaſeris, expendi debet: *Lupini* enim vicinia *vitem* juvat, *Raphani hermodactylos*: *Epithymum* ex *Thymo* laudant Medici, ex *Ocymo* improbant: Item *regio* & *temperatura*, aliquid ſemper peculiare ſibi vindicat, ideò *opium Thebaicum*, *manna calabrienſis*, &c. optima ſuo genere exiſtimantur: deindè ad ipſam plantam propiùs accedens, ex *magnitudine* vel *parvitate foliorum*, &c. *numero*, *colore* & *figurâ* indicia deſumes; inter quæ, cùm poſt *figuram externam*, *color* ſit ſignatura fallaciſsima, (ubi de vi internâ & operatione agitur) ad certiora indicia deveniendum eſt: Per *tactum* igitur proximè, tanquam tutiſsimum experiendi medium, explorandum eſt, an ſit *molle*, *læve*, *aſperum*, &c. *folium*, *fructus*, *radix*, &c. aliquid enim peculiare, idque ſignanter iſta omnia denotant; ultimo denique ad *odorem* & *ſaporem*, (ſenſûs hoc in ſcrutinio ſummè Analogos) accedendum eſt; ut tandem ope concluſionum ſuprà allatarum, quas à Medicis, ut plurimùm, hauſiſſe profitemur, (quod enim noſtrum non eſt, iſto in libro, ubique agnoſcimus) in judicium veniatur; Hôc igitur in argumentô, non ſolùm auctores Botanici, ſed & res ipſæ conſulendæ ſunt; quod certè adeò moleſtum eſſe non debet, ut nulla vel utilior, vel jucundior detur in naturalibus ſcientia: *flores* denique & *folia*, colligi docent *Pharmacopæi*, antequàm deſinant; *fructus* ubi maturuerint; *ſemina* cùm ſiccari incipiunt; *ſuccos herbarum & foliorum*, germinantibus adhuc cauliculis; *lachrymas*, vere novo; *ſtipites* & *caules*, ubi perfectæ fuerint: de *radicibus* denique diverſum quid obſervant, quædam enim ſingulis anni conſtitutionibus, ut *Gly-*

cirrhiza: quædam cùm flores ſuos exuunt, ut *Enula Campana*: quædam antequam vis in ceteras partes abeat, ut *Polypodium*, *Iris*: omnia denique cœlo ſereno colligenda eſſe: De duratione iſtorum denique obſervant, quæ tenuium ſunt partium, vel quæ humiditate luxuriantur, minùs durare, quæ craſſa & ſolida meliùs, quæ amara optimè: proindè videndum an ſignaturas *odoris* & *ſaporis* validè retinuerint, an verò exoleverint. Quædam enim *vetuſtate* fiunt meliora, ob acrimoniam expiratam, ut *Euphorbium*, quædam *mediâ ætate* ut *dulcia*, *ſalſa*, & *inſipida*, quia *dulcia* & *ſalſa* amareſcunt tandem, & *inſipida* exanimantur. Hoc interim perſuaſum habeat Lector, Naturam ſuâ in Methodo, & facilem eſſe & imprimis conſtantem; nullibi enim à ſeipsâ recedit: ſi interea ex nova aliqua ſignaturâ, te monitum habeat, diverſum aliquid ſubeſſe cogita, quod experiri juvabit, modo quæ ſuprà adduximus, in animo ubique habeas. Hoc interea in argumento auctores conſulendi ſunt, quos accuratos & doctos admodùm comperies: *Sapori* interea inter omnes ſenſus, longe minima obtigit activitatis ſphæra: amarorem tamen Abſynthij è longinquo percipi obijciunt; quibus reſponderi poteſt, odorem abſynthij craſſum, ab humiditate oris reſolutum, in linguam decidere & deindè guſtari; ſed in iſtis liberum per me ſit judicium. Porrò facillimè in morbis, *aqua ſalivalis*, quam *mediũ guſtus*, ſtatuimus, corrũpi & infici poteſt; ideò febricitantibus nihil non amarum; cujus ratio reddi poteſt ex eâ ipsâ quam nuper adduximus concluſione, dulcia ſcilicet & ſalſa ex quibus aliměta noſtra, facillimè in amarorem verti. Purum igitur niſi adſit mediũ, & reliquæ quas in principio libri adduximus cõditiones, neq; guſtare dabitur; Nũquam ſatis interea mirari ſubit, qualdã Scholas, *calidũ* & *frigidum*, quaſdam *humidum* & *ſiccum*, odorum principia ſtatuiſſe, in re omninò impoſsibili, & contraria & abſurda prædicantes,

ſed nos ſuum ſolenne, & particulare principium & odori, & ſapori vindicamus: Calidum enim & frigidum, humidum & ſiccum confundas uſque licet, nihil prætereà quàm illas ipſiſsimas qualitates ſecundùm magis, et minùs elicies: utcunque igitur in elementorum gremio involuta deliteſcant, *odorum*, *ſaporum*, *colorum*, principia; neque à calido, neque à frigido, neque ab humido, neque à ſicco, ortum ducunt: atque ita ad tactum, quo inter cætera animantia homo pollere creditur, accedimus.

Objectum facultatis illius, ex cujus conformatione, tactus oritur, à Scholis varium ſtatuitur; ut enim *calidum*, *frigidum*, *humidum* et *ſiccum*, qualitates famoſas taceam; *grave* et *leve*, *lentum* et *friabile*, &c. objecta *tactus*, quatenus *tactus*, etiam dum mordicùs tenent Scholæ: quo pacto, demiramur quidem, et *colorem*, et *ſaporem*, et *odorem*, et ipſum tandem *ſonum* excluſiſſe; nos enim et tangunt iſta, et ſub latitudine facultatis illius, quæ ſentit ſive tangit, cadunt: Heic igitur, non tam è ſenſorijs, quàm ex rerum differentijs, *ſenſus* (unica demonſtrationum media) æſtimamus: quo pacto objectum omne, inter duo oppoſita ſitum, aliquod principium individuationis obtinebit, reſpondens facultati ſuæ Analogæ in quæſtione *quid eſt*, prout ejus gradus, in quæſtione *quale*; ut interim definitiones objectorum quæ tactui vindicant, ex Scholarum ſententiâ aggrediamur: *Durum* id vocant, cui caro noſtra cedit, *molle* quod cedit noſtræ carni; *læve* quod habet ſuperficiem æqualem, *aſperum* quod inæqualem: *acutum*, quod unico puncto terebrare poteſt, *obtuſum* quod nullo: *Rarum* quod multis meatibus eſt pervium, *Denſum*, quod perexiguis, vel nullis: *leve*, comes raritatis, id eſt quod ſurſum ferri eſt aptum, *grave*; denſitatis comes quod deorſum: *craſſum* quod ægrè lævigatur, ſeu in tenues partes minuitur, *tenue* quod facilè; *lentum* quod vix trahenti cedit, cujus extremus gradus in *glutinoſum* deſinit, *friabile* quod

quod facillimè in pollinem teritur; *viſcidum* id eſt, quod manibus hæret, *liquidum* quod facillimè abſtergitur; *conſiſtens*, quod intra ſe coactum eſt, *lubricum* quod facillimè abſcedit; iſtæ igitur differentiæ, facultates diverſas obtinent, modò intelligas ſemper, inter ea, quæ vulgo contraria, unum quiddam intercedere, cujus extrema non niſi gradu diſtant; ideò inter *grave* & *leve*, objectum medium eſt *pondus*, cui reſpondet in nobis facultas ponderans, *gravis* & *levis* gradus in quæſtione, *quali*, & *quanto* æſtimans; atque ita de reliquis differentijs, quas utrinque ſua circunſtipant oppoſita, exiſtimandum eſt; quod niſi ubique advertas, neque quæ heic docentur, capies unquam. Organum externum conformationis, eſt *Epidermis*, ſive *ipſa cutis extremitas*, quæ ſi temperata ſit, & reliquæ conditiones adſint, quas in principio libri attulimus, verus datur ſenſus. Eſt autem nerveæ ſubſtantiæ, cuticula iſta: circa nervos autem obſervant, Anatomes periti, molliores eſſe qui ſenſationi, quàm qui motui inſerviunt; maxime denique eorum extremitates eſſe ſenſu præditas: licet igitur ſenſibus reliquis ſui certi & determinati actionum delatores dentur, ſenſus iſte ubique ſeſe immiſcens omnia permeat, qui cùm plus voluptatis, quàm reliqui ſenſus, percipere videatur, & plus doloris pati, æquum fuit; ex *tactu* enim, totius corporis, & craſsi ſenſus famulitium abſolvi, ipſe tactus ſatis docet. Si interea, nervus eſſet carnis exors, implacida & doloroſa foret tactio, non quod caro ſentiat, ſed quod ſit medium frangens conditionem corruptibilem objecti externi: *Cutis* interea, ea de cauſſa medium obtinet temperamentum, inter calidum cordis & jecinoris, & frigidum cerebri & renum, ut per illam, facultas quæ rerum gradus expendit, de contrarietatibus judicaret: Hinc fit etiam quod reliquos ſenſus externos neceſſariè permeet facultas iſta, per organa ſua, retis ſeu involucri cujuſdam inſtar, diſtributa: quæ

ideo

ideo à *carne* retundi obſervant docti, ut in temperiem veniat: nuda quippe nervorum pulſatio, ita nos afficeret, ut homo perpetuo, ſui ipſius ſenſu, torqueretur: Tota interea actionum efficacia, à ſpiritibus, qui animales vocantur, abſolvitur, quorum mira virtus vel hoc argumento ſuaderi poteſt, quod molem capitis ſuſtineant, cujus graviſsimum onus in capite plexis comperies: De cauſis voluptatis & doloris ubi de ſenſibus internis fuit ſermo. Plura interim hac de re poſtulantes, ad auctores relegamus, quos ſatis accuratos videre licet; diviſiones tamen ſuprà allatæ, imprimis conſulendæ ſunt: ut quantùm unicuique agenti, ſive externos, ſive internos ſpectes ſenſus deferri poſsit, exploratum habeas. Quæſtiones interea nobiles, an plantæ ex fibris (quæ nervos æmulantur) ſentiant, rixarum candidatis relinquimus: nos quidem in his omnibus, intra Analogiam propriam noſmetipſos recipimus, ultra quam, nullus mortalium ſapit: ſatis habemus, ſi hoc in libro, notitiæ communes ſanciantur, & tanquam providentiæ Divinæ univerſalis, inſtrumenta proxima habeantur, ut tandem in id redeat omnis diſputatio, ex qua facultate probas; miſere enim nobiſcum actum eſſet, ſi ad percipiendos *colores*, *ſonos*, &c. caducos, momentaneos, &c. ſubeſſent media, nulla autem ad veritates illas, internas, æternas, neceſſarias, ſine errore ſupereſſet via. Hoc igitur ex providentia Divina univerſali perſuaſum habeat Lector, modo rectâ incedat, omnia gradatim explicari; viam interea ſi deſerat, per anfractus & devia expatians, ad notitias communes, quę ſolę errores caſtigare poſsint, regrediendum eſſe. Quemadmodum, enim, ſi conditiones adſint, ſenſus externi certiſsimi deprehenduntur: conditionibus vero deficientibus, & ipſa deficit veritas (quorſum enim abſque lumine, diſtantia debita, mora, &c. oculus?) Quemadmodum etiam univerſis conditionibus poſitis, libertas tamen interna ſupereſt,

eſt, unde occludere oculos, obturare aures poſsis : ita certè de notitijs communibus exiſtimandum eſt : nihil enim in foro interiori non poteſt arbitrij libertas, in hoc ipſo tantummodo non libera, ut Beatitudinem ſuam æternam, non inſectetur per omnia, ineptè licet, aliquando etiam & fruſtrà. Atque ita ad *diſcurſum* illum (inter omnes facultates erroribus maximè obnoxium) accedimus, circa quem, advertendum eſt, ſub ſenſibus internis quodammodò adumbrari, quæcunque ad diſcurſum ſpectant : ſed quia ſenſus interni, ex diviſione noſtra, circa Analogiam internam, *bonum* ſcilicet & *malum*, &c. quemadmodum, externi circa *Analogiam illam externam* propriè verſantur : id munus *diſcurſui* obtigit, ut quæ circa utramque Analogiam ſciri poſſint, in ſuam infimam latitudinem, ope notitiarum communium deduceret : quo pacto diſcurſui peculiare eſt, ut per ſpecies, ſive ab externis, ſive ab internis facultatibus ſuſceptas operetur, lentè & gradatim, Analogiam rerum inter ſe, imprimis expendens : eſt igitur per ſe facultatum tardiſsima, quod non ſolùm in macrocoſmo, ſed in ipſo etiam microcoſmo conſtat; licet igitur in ſenſus internos deſinat, facultatum poſtrema meritò haberi poteſt : Ideoque ubi reliquæ facultates in teſtimonium adduci poſſunt, adeò non proficit, ut maximorum errorum ſit cauſa; quod quia non advertit Schola, paſsim imponit; Proinde ubi *notitia communis*, ſubeſt, vel denique *interni ſenſus*; ſive *externi* de rebus enunciant, plane ſupervacanea eſt facultas iſta; omnia tamen ex diſcurſu ſuo, enucleare Scholis ſolenne eſt, unde, turpiùs, quàm ſi cibum in aures ingererent, peccare ſolent. Quomodo interea, ex *prioritate*, *independentiâ*, *univerſalitate*, *certitudine*, *neceſsitate*, & *modo conformationis*, facultas iſta ab inſtinctu naturali, ſive notitia communi diſtinguatur, ſuprà ſub titulo inſtinctus naturalis docuimus; definitionem aggrediemur.

DISCVRSVS noſtri, ſunt ſenſus, ex conformitatibus objectorum, vel (ut clariùs loquar) ſpecierum objectorum, cum facultatibus illis in omni homine ſano & integro exiſtentibus, oriundi, quæ, (cum objecta particularia intus ſuſcepta fuerint) medio facultatum quarundam Zeteticarum, ſive Eureticarum, & notitiarum communium, circa rerum Naturam, ſive communem, ſive propriam, modò per compoſitionem, modo per diviſionem, eo fine ut Analogia rerum inter ſe, explorata habeatur, quarto loco, & maximè conditionaliter, verſantur.

MIRA licentia *Diſcurſus*, Cætera animantia, ſi non neceſſarias, attamen immediatas & æquales ubique produnt actiones; ſolus Homo ex quadam diſcurrente, & (cujus vicem doleas) ſatis frequenter titubante agitatus facultate, dum aliquando proprijs, aliquando etiam alienis ſeſe mancipat opinionibus, neque ſatis liber & ingenuus, (maximam partem) neque ſatis ſervus & dicto audiens deprehenditur: Indè tot erroribus complicatas veritates, habuit prius, & in præſentiarum habet poſterius iſtud ſæculum: Cæſpitat enim *diſcurſus* palans, & ſæpiùs proſternitur, & dum ſubſidium ex involutis veritatibus, vix inter ſe cohærentibus captat, totum ferè placitorum ſuorum infœlix, & inofficioſum evertit ſyſtema; Proinde legibus ſuccumbit diverſis *Homo*, & dum jam *Naturali*, mox etiam *Relligioſo* decreto paret, deinde etiam *arbitrario*, & nonnunquam etiam *iniquo* collum præbet jugo, quantumvis elatus prodire, & vultuoſus ſatis videatur, vix tamen ſpiritum ducit, ſed modò huic, modò illi ſeſe illidens aræ, reijcitur, incertam deindè, nedum infidam premens ſemitam; Tantùm abeſt intereà,

intereà, ut conſtantem ullibi fere ſervet tenorem, ut (peſſimo conſilio) ſeipſum, immò & totam rerum fabricam, ex *veriſimilibus* ſuis, temerare, & quodammodò perdere videatur; neque tamen heic ſiſtit *diſcurſus*, etiam auctorem ſuum invadit; maxima igitur ex *diſcurſu* peccata; neque enim quæ à molis corporeæ propenſionibus tam *peccata*, quàm *pondera* & *inclinationes* dixerim, quorum idcircò ex catharticis ſuis affatim ſpecifica propinabunt remedia, Medicorum Coryphæi; quòd igitur, *negat*, *renegat*, *blaſphemat*, quod etiam *fingit*, *ſupponit*, *imponit*, eſt *diſcurſus*; neque ipſum *ſenſum* compatiens. Hinc fit, ut invito ſenſu interno, ſe liberos eſſe, inficias eant quidam inficeti; hinc etiam ſe nihil boni cogitare poſſe (neque hoc etiam) nonnullus prædicat; Hinc denique (ut paucis dicam) omnium *notitiarum communium* ſeriem, totum *ſenſum internum* & *externum* etiam ritè conformatum convellere, & improbare pro viribus ſuis audet *diſcurſus* præceps: inde tot contradictiones, abſurditates, deliria; ſed nos qui cunctarum facultatum humanarum terminos & metas, primi (quod ſcimus) poſuimus, nullam facultatem, impunè in alienam ditionem irrumpere obſervamus; ideò *inſtinctus naturales*, ſive *notitiæ communes* à ſeipſis unicè fidem obtinent, & ſupra *rationem*, id eſt *diſcurſum* credi poſtulant; idem de facultatibus reliquis exiſtimandum eſt, quæ imprimis ab inferioribus facultatibus informari dedignantur: Ideò *ſenſui interno*, circa objectum ſuum, potiùs, quàm *ſenſui externo*, & *ſenſui externo* denique potiùs quàm *diſcurſui*, credendum: *Diſcurſum* igitur ultimo reponimus loco; illum tamen ex toto labefactare in animo non eſt, cùm Natura nihil dederit fruſtra; imò quod magis eſt, *diſcurſum* iſtum, tanquam inſignem hominis differentiam, nobis impertierit; ſua igitur veritas ineſt *diſcurſui*; ſed ita tenuis, & ferè inutilis, ut quæ verè ſolida, & ex conſenſu univerſali ſancita, ad *inſtinctum naturalem* tanquam

poſtliminio revocentur; Proinde eandem latitudinem *diſcurſui* ad *errorem* obtigiſſe, quæ *libero arbitrio*, ad *malum*, cogita Lector; Non ſine ſummâ cautelâ igitur, *diſcurſu* utendum; præſertim verò in ijs, quæ, cum facultatibus diſcurrentibus minimè cognata fuerint, impropriè,& ſummo periculo, decernuntur; circa ea tamen, quæ rectiorem non patiuntur normam, diſcurrendum eſt; Neque enim aliter, communia illa principia in ſuam infimam latitudinem deduci, vel aptè inter ſe connecti queunt: Per *diſcurſum* denique in objectis verborum, *verum* à *falſo* ſeparatur, & notitiæ illæ communes proponuntur, quibus facultates *harmonicè* reſpondent; Proprium denique eſt *diſcurſus*, ut Analogiam rerum inter ſe exagitet; in hijs tamen omnibus advertendum, ſine ope notitiarum communium, ſeſe mutuò explicantium, *diſcurſum* adeò non proficere, ut planè ineptiat; in quæ igitur *diſcurſus* jus integrum habet, neque eſt Analogia externa, vel interna, vel communium notitiarum ſeries, ſed *Analogia rerum inter ſe*; quam ope notitiarum communium componit & conformat; proinde Analogiam illam, quæ inter *nos* & *primam cauſam*, vel inter *nos* & *objecta* quæcunque propriè & per ſe non penetrat; ambulet igitur, intra terminos, dubia, & veriſimilia ſua, & ſua per me todella crura, ſibi rurſus habeat Peripatus: proprijs tamen ex conditionibus rectè conformatur; ſed cùm cunctas facultates (debitè conformatas) prævias poſtulet, tota ferè eſt obnoxia & conditionalis, facultas iſta; cùm autem *notitiæ communes* (in ijs, quæ ſunt *diſcurſus*) cumprimis ſuſpiciantur; illas autem adhuc nemo (quod ſciam) in ordinem redegerit; donec magnum illud abſolvatur opus, ſatis fuerit monuiſſe, *diſcurſum*, notitias communes, ritè in ſuam infimam latitudinem deducere, ſi facit ut hæc communis notitia cum illâ, vel (ut paucis dicam) cum ullâ veritate minime pugnet; iſta igitur *diſcurſus* ſumma norma eſto, & conditio; Mirè interea

terea iſta inter ſe reſpondent; in foro autem *diſcurſus* præſidet (ex Scholarum ſententiâ,) *fantaſia* (aliquibus eadem cum ſenſu communi) cui in ſubſidium tribuunt, facultatem *componentem*, *dividentem*, *cogitantem*, *æſtimantem*, &c. quidam Auctores tamen iſta inter ſe confundunt, alij plures, vel pauciores juxta libitum ſtatuunt; ſed nos ex *ſenſu interno* & *methodo* ſupra allatâ (quæ quid *anima*, quid *corpus*, quid *objecta* denique per ſe poſſint, explicat) iſta excuti potiùs, quàm ex Auctoribus, quorum ſententias hoc in argumento, neque titivillitio empſitem, conſulimus; De facultatibus autem quæ *componunt*, & *dividunt*, obſervatu digniſſimum eſt, hanc circa rerum Naturam *communem*, illam circa *particularem* verſari, inter quas intercedit *media* illa facultas, quæ objectum ſecundum ſtatum ſuum naturalem expendit, principio individuationis in primis Analoga, quam Scholas non advertiſſe equidem miramur; Hoc enim in ſtatu, arcanum principij individuationis, adeò a Scholis exagitatum, deliteſcit; ex quibus *componens* & *dividens*, proprie ad *diſcurſum*, iſta verò (principio individuationis Analoga) ad *inſtinctum naturalem* ſpectat; reliquis idcirco, & *ordine Naturæ*, & *ratione* conditionum prior: *Componens* autem facultas recte conformatur, ſi idem a ſimili diſtinguitur; *dividens*, ſi res in ſuas infimas differentias reſolvantur; quas, *cogitativa*, *æſtimativa*, *judicativa*, *electiva*, ſequuntur, quarum unaquæque recte conformatur, ſi prior recte conformatur; quô modô niſi omnes facultates præcedentes recte conformentur, neque recte conformabitur *electiva*, in quamcunque cedat partem; Quam *conditionalis* igitur & quidem ardua ſit *veritas*, ſatis conſtat, cujus methodum tamen pulcherrimam ex noſtris vides Lector; qui plura interea de facultatibus ſuprà enumeratis deſiderat, Scholas conſulat: Modo *fantaſiam*, tanquam larvam, potiùs quàm facultatem ex earum deſcriptione peſſimè adumbrari, advertat; Ne interea facul-

tati *memorativæ*, quæ cunctis facultatibus inſervit, eſſemus ingrati, pauca, (antequam ad Zetetica fiat tranſitus) more noſtro ſubjungemus: Omnibus famulatur *memoria*, in cujus foro, tanquam in communi aliquo promptuario, deponuntur *ſpecies*, *notitiæ*, *concluſiones*, à facultatibus exceptæ, cui præeſt *reminiſcentia*, hæc proma, illa conda rerum; nihil autem in *diſcurſu* ſine memoriâ perficitur; quamvis enim in objecto, unus exiſtat terminus, alter, ille ſcilicet qui conformatur, è memoria deſumitur: Ideo ſi hoc *dulce* eundem ſenſum inducat, quem olim illud, eandem obtinebit denominationem: Maximè igitur intereſt, ut *memoria* ſit conſtans, integra, ſtabilis; Quæ interim optimè in memoria imprimuntur & ſervantur, iſta ſunt; quæ *delectant*, quæ *terrent*, quæ *magna*, quæ *nova*, quæ *ſæpiùs repetita*, quibus *applicatio major facta fuerit*, quibus *circumſtantiæ* aptę, quibus *cognata* & *affinia* multa; quæ omnia myſteriorum plena; modo ſenſum *craſſum*, & *corporeum*, à *ſereno* & *beato*, diſcrimines; quâ ex diviſione & quod hæc agat, illa patiatur, *reminiſcens* à *memorativa* facultate diſtinguitur; proinde in memorativa facultate, ſpecies conſeneſcere, & aboleri poſſe obſervamus, quas tamen facultas reminiſcens revocare, etiam ex objecto cognato valet; quarum actiones diverſas, ex *ſenſu interno*, æſtimare, operæ pretium ducimus; Quâ ratione interea, memoria eſt actus conformationis facultatis memorativæ cum objecto aliquo craſſo & corporeo, morte tolli poſſe videtur; ſunt enim caduca objecta hujuſmodi, & interitui obnoxia; quæ tamen ab ipsâ animâ, ſive mente imprimuntur notitiæ, in æternum manere videntur, uti ipſa etiam reminiſcens facultas, quam ex objectis cognatis, tanquam notis rerum aſsiduis, & antiquatas elicere poſſe conformitates, & fugitivas reprehendere, æquum eſt credere; Quodcunque igitur, benè & rectè (hiſce nimirum legibus) in ipſo memoriæ foro, conformatum, habitudinem

habitudinem adſequi non perituram, arbitramur; ſunt enim veritates æternæ; ut pereant interim organa, quibus læſis, certum eſt ipſam memoriam lædi, quæ ab ipsâ mente demandantur notitiæ, excitari ut non poſsint, perdi non poſſe exiſtimandum eſt, & proinde hijſce inſtructam, ſupereſſe in æternum mentem noſtram, dotem inſuper è terra in cœlum (modò meminiſſe juvet) objectorum, *craſſorum* & *corporeorum* conformationem, reportaturam: Quod interea aliquorum hac in vita, non adeò facilè recordemur, in cauſa eſt, quod illud in quo ultimo verſabatur *intellectus*, nihil commune habuit cum illo, de quo tum erat quæſtio; *intellectus* autem novas inter ſe conformans conformitates, aliquid uſque in ſe habet *continui*: quod denique *memoria* ſit perfectior in ijs quæ *vidit*, *audivit*, & *tetigit* homo, quàm in ijs quæ *guſtavit* & *olfecit*, pulchra è corporea Natura adduci poteſt ratio, quam è prioribus eruendam relinquimus: Iſta autẽ breviter de *facultatibus*, quas *diſcurſui* vindicamus, dicta ſunto, cujus sũma ars, quã *Logicam* vocant, eo fine tradita eſt, ut notitias illas cõmunes, contra quę diſputare nefas, è verborũ involucris extricet: Quæ niſi ſanciantur, neq; de veritate illâ conſummatâ, conſtabit unquam; Quemadmodum enim Tyronem, qui ex ſubitario milite (ſive Tribunis vel Anteſignanis ſuis) exercitum in præliũ educeret, victoriam traditurum potiùs quàm occupaturum exiſtimaverit rei militaris peritus Strategus. Ita omninò, ex tumultuarijs & congeſtitijs opinionibus (citra principiorum conventionem) conflatum ſyntagma; potiùs *errores* (aliquando exitiales) creaturum, quàm *veritatem* aſſerturum, nullus non muſteus dubitaverit Author; Quanti, quanti, refert igitur, ut notitiæ communes, (ſine quibus nulla probatio certa, vel documentum dari poteſt) in aciem componantur: Hoc igitur facultatum noſtrarum *Zeteticarum* munus eſto, ut earum ope tandem in objecta ſua Analoga jus integrum habeat *diſ-*

curſus: Neque igitur *diſcurſum*, vel extenuare volumus, vel explodere, niſi ubi ultra cancellos proprios elatus, ipſum *inſtinctum naturalem*, *ſenſum internum*, vel *externum* aggreditur: ſi enim in Analogiâ propriâ, ſatis anguſtam volunt ſcientiam noſtram Scholæ, extra illam ſane erit nulla: ſobriè ſapiat igitur *diſcurſus*, atque intra provinciam: univerſis interea facultatibus opus habet *veritas*, præſertim ubi objecti cognitio adæquata proponitur: quod tamen *diſcurſum* paulò acriùs perſtrinximus, in cauſa eſt, quia nullus niſi à *diſcurſu* ſolennis error; quod ex innumeris illis abſurditatibus, quæ ſubſtructionibus notitiarum communium innituntur, ſatis conſtat: *veritatem* enim, non ſolùm *veritatis*, ſed ipſius etiam *erroris* Baſin eſſe, non ſemel obſervavimus; quod igitur ſibi in erroribus complaceant, à *veritate* aliqua implicitâ & habuit omne, & modo habet infœlix ſæculum: Hanc igitur (eſt enim *notitia communis*) eruere, & ſibi vindicare etiam importunè ſuadebimus: Ne interim exempla deſideres, vide tot errores, Græcos, Barbaros, noſtros, nulla ſine aliqua *veritate involutâ*, labes: etiam in turpiſſimo errore, quædam communis notitia ſubeſt: moleſtè feres reliqua: tranſimus igitur ad *Zetetica* noſtra, ex quibus & facultatibus proprijs iſta erues.

Diſcurſum eſſe infinitum, vulgo creditur & nullum dari dubiorum terminum, ſed falsò; quemadmodum enim *ſenſuum externorum* & *internorum*, ita quoque *diſcurſus*, ſive quæſtionum, quas circa res quaſcunque movere poſſumus, certus quidam & definitus datur numerus, ultra quas neque dubitari poteſt: Diverſe autem ad Analogiam ſuam terminantur quæſtiones iſtæ; ideò facultas quæ quærit *an res ſit*, non eſt eadem cum illa quæ quærit *quid res ſit*, vel *undè*, &c. neque denique eædem facultates in queſtionibus iſtis ubique reſpondent, ſed illa quæ dicit rem eſſe in quæſtione *an ſit*, ad cauſam in quæſtione *undè* hærebit, &c. Heic igitur non

non ſolùm facultatum Zeteticarum numerum, ordinem & methodum, ſed earum Analogiam ad facultates reliquas, & leges denique conformationis cum objectis ſuis (primi fortaſſe) poſuimus: Hæc erit igitur diſcurrendi ratio & norma; quod enim præterea ſupereſt, per unicum verbum, ſive copulam *eſt* (*non eſt* enim ad *eſt* reduci poteſt) abſolvitur: Hanc igitur ſeriem cognitionis rerum apud te ſtatue. *Primò* (quod ex vocabularijs, vel rebus ipſis comperies) in Analogia tua plurimas dari rerum *differentias*; *Secundò* omnes haſce *differentias novum* inducere *ſenſum*. *Tertiò* ex omni *novo ſenſu*, *novam* creari *ſpeciem*: quibus poſitis, ſpecierum Analogiam quandam inter ſe obſervabis, cujus inveſtigationi, facultates quædam in nobis dicantur: quæ licet illæ ipſæ ſint quibus inſcienter, & nullo ordine, ſive delectu nemo non utitur; eorum tamen Methodum, & concinnam diſpoſitionem, nullibi gentium videre licuit: harum artem igitur *Zetetica* noſtra vocamus, quam tanquam omnis doctrinæ clavem, publici juris facimus; neque enim aliter inſtructi, ſive Philoſophi, ſive Theologi, &c. ſive veteres, ſive recentes, ad rerum cognitionem acceſſere, vel quidem accedere poſſunt: dum tamen noſtram veritatis inveſtigandi methodum, ſcilicet (ex qua facultate probas) neſcierunt, & adhuc neſciunt, movere dubia, ut in promptu fuerit, eorum ſolutio per facultatem ſuam Analogam huc uſque latuit: Artem igitur ex quibus iſta omnia enodari poſſunt, heic pandimus: Neque igitur deinceps imponant Scholæ; eædem enim ſi dentur facultates, eadem objecta, niſi conditiones (vera ſcilicet methodus) deſint, cur hic illo ſapientior evaderet? deſinant igitur ad magna illa nomina confugere, ut patrocinium errorum quærant væcordes: unicum ignorantiæ aſylum, auctoritas: Tantùm abeſt, ut aliunde, quàm à te ipſo veritatem tuam comparare poſsis, aliâ ut lege, neque proſapia, neque honor, neque

divitiæ

divitiæ tuæ fuerint; veritas quæ in aliorum ſcriptis invenitur, niſi tua, niſi communis utique fuerit, Auctori permittenda eſt: quæ igitur tua non ſunt, juſto domino aſſere, quo pacto veritatem rerum, ſive veritates particulares, à veritatibus intellectus, ſive veritatibus æternis diſtingues; ſed fidem iſto modo labefactari inquies; minime gentium; res enim ita eſſe poſſe, in quibus nullæ dantur contradictiones, ut communis ſit notitia, ita revera fuiſſe, à narrantis auctoritate pendet; ſed de hijs ſatis ſuperque, niſi uſque delirare lubeat; ad te ipſum igitur regredere, ut ad facultates proprias, univerſas Auctorum ſententias, reducas, quas utiliſsime evolvi comperies, quatenus notitias communes excitant; reſtat ut ex hac Methodo noſtra, *verum* à *falſo*, in propoſitione quacunque datâ, ſepares: alia enim ad *veritatem* non ſupereſt via; neque igitur, vel operoſa videri debet doctrina noſtra, vel moleſta, quibus veritas cara eſt, præſertim cum *Zeteticorum* noſtrorum ope, indoctiſsimus quicunque, integra volumina conficere poſsit, & quidem circa objectum quodcunque; neque obſtat, quod aliquando Barbarè ſonent, ſi per illa, ac facultates proprias detur regreſſus. Quod interim unicè monemus, eſt, ut prædicamenta vulgaria abijciat, cui iſta cordi ſunt; cùm nihil, in totis Scholis (auſim dicere) magis corruptum, magis erroneum ſit, vel quæ tam amplam depravatæ doctrinæ anſam præbuerit. *Primò*, quod univerſa ut rerum ſeries obtendatur, *anguſta* ſint; quo pacto *cauſæ* rerum, *fines*, &c. ſubticentur: *Secundò*, quod nullam rerum diviſionem, quæ vel vera fuit, vel apta præmiſerint. *Tertiò*, quod *ſubſtantiæ* rerum & *qualitates*, prout vulgo intelliguntur, figmenta ſint & chimeræ: Nullibi enim per ſe ipſas exiſtunt, ſed modo quodam relativo tantùm: *Quartò*, quod facultates reſpondentes, ad Zetetica nullibi ſubjecerint, ſed omnia ex diſcurſu quodam putido deducere voluerint,

voluerint, neſcientes extra provinciam ſuam, vel fallere, vel falli facultatem quamcunque: Hæ autem ſunt imprimis rationes, quibus adducti, prædicamenta illa vulgaria, in quibus res adeò inſanè & temerè reponuntur, ablegavimus: quorum loco, quęſtiones omnes, quę de objecto quocunque moveri poſſunt (dico omnes, nihil enim pręterea, vel cogitare potes) omnes denique facultates, quæ in quęſtionibus iſtis appoſitę reſpondent, ſubſtituimus: ſint igitur humanę ſcientię termini & metę, quę hîc deſignavimus; quod etiam invitus experiere Lector: circa objectum igitur quodcunque, ſive *rei*, ſive *verbi*, ſive *ſigni*, ſive *ſimplex*, ſive *compoſitum*, ſive propoſitio *vera* ſit, ſive *falſa*, ſive ſit *communis*, ſive *particularis*, ſive objectum *ſenſus interni*, *externi*, vel *diſcurſus*, & ut paucis dicam, circa differentiam quamcunque, quæſtiones quæ moveri poſſunt, & ultra quas neque dubitari datur, ſunt ſequentes, quas primò ſimplices, poſtea etiam complicatas exhibebimus: Simplices autem quorum ſynonyma paſsim, prout opus fuerit adnotavimus, ſunt primò, *an ſit*, ſecundò, *quid ſit*, deinde *quale ſit*, porrò *quantùm ſit*, demùm *ad quid ſit*, inſuper *quomodò ſit*, poſteà, *quando ſit*, ulteriùs *ubi ſit*, denuò *undè ſit*, ultimò *cujus gratia ſit*, ex quorum pręedicatis, juxta facultates reſpondentes, illa pręedicamentorum ſeries conficienda eſt: neque tamen heic ſiſtendum eſt, ſed ad complicatas illas queſtiones (ex quibus, cùm quæſtionum, tum facultatum reſpondentium numerus integrè abſolvitur) deveniendum eſt; exempli gratia, *an quid ſit*, *an quale ſit*, &c. tum *quid quale*, *quid quantum ſit*, tandem, *quale quid*, *undè tale*, *cujus gratia*, *tale*, *eo modo ſit*, atque ita alternatim uſque ad *tertiam*, *quartam*, & ipſam *decimam conjugationem*, quibus utinam nomina adaptarent Scholæ, cùm in illis, velint, nolint, univerſa facultatum humanarum latitudo ſita ſit; certe ad eorum quaſdam, propria jamdudum

excogitantur nomina, ut in quæſtione *quid*, rei quidditas, ad quæſtionem, *quale*, rei qualitas, ad quæſtionem *quantum* rei quantitas, an verò in quæſtione, *an*, rei annitas, in quæſtione *ad quid*, rei ad quidditas, &c. ſalva pędantum gratia, recipi poſsint, in medio relinquimus, præſertim ubi ad *ſecundam, tertiam, quartam conjugationem*, &c. ventum eſt, & de rei *quali quidditate*, *undè talitate*, &c. agitur; nos ipſi vocabula magis Latina confingi exoptaremus quidem; ſed hoc aliorum eſto negotium, modo *complicationum* noſtrarum rationem, ubique obſervent; cùm ultra quæſtiones iſtas, neque angi poſsint; nulla denique præter hanc noſtram, unde res omni ex parte exagitari queant, Methodus ſuperſit, ſi partes neceſſarias ſcientiæ ſpectes; ad illuſtrationem tamen *cognata*, *ſimilia*, *diverſa*, *diſparata*, &c. addi poſſunt; ſed in iſtis parum & cautè immorandum (ſimilitudo enim erroris eſt fœcunda) maximè cùm ad veritatem rei ſufficiant, quæ nuper adduximus; ubi tamen ad forum interius ventum eſt, & à veritatibus rerum, (quatenus fundamentum relationis extra nos obtinent) ad internas illas veritates, quę ad conſcientiam ſpectant, provocatur, ſuborietur quęſtio conſcientię particularis, *an ita eſſe debeat*, de quâ ſuo loco; à quęſtione, *an ſit*, incipiemus.

FACULTAS

FACVLTAS *quæ movet quæſtionem*, AN.

CIRCA *differentiam* quamcunque datam, inter univerſas queſtiones, que primò occurrit, hec eſt; neque enim tutò in reliquarum queſtionum profundum ſolvitur, niſi exploratâ iſtâ; ante omnia igitur exagitari debet, *an res ſit*, quo pacto objectum quodcunque, non ſolùm à *non ente*, *ficto*, ſeu *falſo*, ſed ab ipſo etiam *veriſimili* & *poßibili* diſtinguendum eſt; ſapientiſsimè igitur à queſtione iſtâ incipitur, quod utinam adverterent Scholæ, in innumeris illis propoſitionibus, quas confinxit, ſive prius, ſive poſterius iſtud ſeculum; ut tandem in reſolutionem, ex qua facultate probant, devenirent. Quæ reſpondent autem in quæſtione iſta, ſunt *inſtinctus naturalis*, *ſenſus internus*, *ſenſus externus*, & *diſcurſus*, legibus iſtis, *primò* ut nullibi invertas ordinem, ſed ut unicuique facultati ſuam permittas provinciam; neque enim quæ ſunt inſtinctus naturalis, ex *ſenſu interno*, *externo*, vel *diſcurſu*, aut vicibus verſis probari poſſunt; *Secundò*, quando in objecta facultatibus complicatis agitur, ut advertas, ubi ſuperiores facultates in teſtimonium adduci poſſunt, non eſſe opus inferioribus, quo pacto *notitia communis*, cum *ſenſu interno* complicata, etiam invitis facultatibus reliquis obtinebit fidem; idem de *ſenſu interno*, in relatione ſua ad *diſcurſum*, exiſtimandum eſt; modo Analogiam ubique ſerves; extra illam enim, nulla ſapit facultas. *Tertiò*, ut *diſcurſui* per ſe, in quæſtione iſta, vel parum, vel nihil, ubique tribuas, niſi quatenus, è verborum involucris, *notitias communes* extricat; quâ ratione *diſcurſu*, *verâ* ſcilicet *Logicâ*, maximè utendum eſt. *Quartò*, advertendum eſt, ubique, res ita eſſe, ut ex facultatibus iſtis probare poſsis; res ita eſſe non poſſe, vel potuiſſe,

niſi ſumma aliqua detur contradictio, nullo facultatum indicio conſtare; Eſt igitur in Analogiâ ſuâ veritas *affirmativa* tantùm, & quædam aſſerere, nihil negare, niſi ubi, quod dicitur, cum notitia aliqua communi, ex diametro pugnat, à ſeipsâ poteſt; quibus inſtructus, *veritatem* à *veriſimili*, ſive *præterito*, à *poßibili*, ſive *futuro*, & à *falſo* denique optimè diſtingues; ultimò advertendum eſt, facultates reſpondentes, plurimis de rebus decernere, in quæſtione iſta, circa quæ, ulterior non datur progreſſus, ſaltem ad adæquatam cognitionem; quod ubique obſervaſſe, permagni momenti eſſe arbitramur, cùm occurritur illis, qui res omninò eſſe pernegant, quia, *quid*, *quale*, *quantùm*, &c. ſit objectum, ultra facultatum Analogiam ſitum ſit; variè enim & inæqualiter facultates ad objecta, & vice verſa, terminari, obſervamus; quâ ratione facultates, quæ in duabus, tribus, vel pluribus harum quæſtionum reſpondebunt, in reliquis ſilere poſſunt; quod limine doctrinæ noſtræ adnotare placuit, ne ſeſe temerè efferri patiatur Lector, & uti ſe nihil non ſciſcitari, ita nihil non ſcire poſſe, cogitet; Exemplo utar, obſcuritate aliquando Solem obduci, notitia communis, & ipſe quidem ſenſus docet, in quæſtione *an ſit*, & *ad quid ſit*; Apprimè igitur reſpondent heic facultates noſtræ: cùm verò ad quæſtiones reliquas, puta *quid*, *quale*, *quantùm*, *undè*, *cujus gratia*, &c. ventum eſt, imperfectè in aliquibus, in reliquis non omninò reſpondent: utiliſsimè tamen quæ de re quacunque moveri poſſunt quæſtiones, in promptu adſunt, ut non ſolùm ſcientiæ, ſed ipſi etiam ignorantiæ metæ ponantur & termini, neque enim ultra quæſtiones noſtras, vel ſcire, vel quidem neſcire datur. Hiſce inſtructus, ad ſyzygias, ſive complicationes venies, quarum primæ ſunt *an-an*, *an-quid*, *an-quale*, *an-quantùm*, *an-adquid*, *an-quomodo*, *an-ubi*, *an-quando*, *an-undè*, *an-cujus gratia*, dentur in objecto propoſito. Porrò complicationibus hiſce

facultates

facultates quæ reſpondent, in ſequentibus habebis Lector, quas juxta quæſtiones, complicari ubique advertes: eadem Methodus, denique in *ſecundâ*, *tertiâ*, *quartâ*, &c. uſque ad *decimam* complicationem obſervanda eſt, quod ex ijs quæ ſubijciuntur, facilè intelliges Lector.

Facultas *quæ movet quæſtionem* Quid.

Quæstionem ſumme difficilem ante oculos habere cogita: *quid res ſint*; & Elementum, & planta, & brutum, & homo, multa ſunt: Nihil hoc in mundo, non congeſtitium: ſeſe mutuò ſubintrant res, & nullibi ſincerum illud deprehenditur, quod ſit, ex toto compoſitionis expers: *quid* igitur res aliqua ſit, niſi plurima reſpicias, dici nequit; proinde ultima in reſolutione ſua eſſe debet iſta quæſtio, utpote cui reliquæ famulentur; à diviſione rerum ordiemur: eſt igitur res omnis vel *naturalis*, vel *artificialis*, vel *mixta*; diviſionem iſtam in prædicamentis ſuis ſubticuere Scholæ; inde mira illa rerum ſagmata: Hoc igitur ex facultatibus, quæ in quæſtione *undè* reſpondent, explorato, ad facultates quæ in quæſtione *quid* & *ad quid* reſpondent, deveniendum eſt: quô modô duplicem Naturam, in objecto quocunque comperies, *communem* & *particularem*: duplex igitur datur objecti *quidditas*; à *communi* incipiemus, ut tandem in *quidditatem individualem*, rei Naturam perſtringentem deveniamus: quo in argumento præmittendum eſt, quæſtionem iſtam in ſeipſa arduam, in naturalibus eſſe difficillimam, cùm facultates noſtræ, ad Analogiam propriam terminatæ, *quidditates rerum intimas* non penetrent: ideo *quid* res naturalis in ſeipſa ſit, tali in Analogia ad nos, ut ſit conſtituta, perfecte ſciri non poteſt: in artificialibus tamen aliter fit; quia ſunt ex mente noſtra: proinde

opera Naturæ (etiam in nobis edita) ut nos lateant, (nemo enim rationem *generationis*, *nutritionis*, *augmentationis*, &c. exploravit unquam,) quod in artificialibus ſubeſt,ex ijſdem facultatibus artis periti intelligere poſſunt : ideo ſutor crepidam : ſed quia etiam cum objecto naturali quæſtionem iſtam quadantenus conformari poſſe, par ſit credere, à differentijs tanquam notis & ſignaturis *quidditatum* optimis, incipiendum conſulo ; Differentias autem vocamus, illas quaſcunque ſignaturas, ex quibus objecta, ita determinantur & conſtant, ut per illas à reliquis quibuſcunque diſtingui poſsint, ſive rationes illas, per quas hæ res non ſunt aliæ : quâ in definitione, duo advertenda. Primò, objecta non cognoſci *quidditative*, niſi cognitis differentijs ; ſecundò differentias, non cognoſci *quidditative*, niſi cognitis extremis; ut à principio modeſte quorum extrema nullo indicio conſtant, quidditativè cognoſci non poſſe, pro confeſſo habeatur; in omni igitur differentia,extremitates,quâcunque ex parte dentur, expendi debent, ut regreſſu ad partes integrantes facto, rem abſolvamus : quo pacto, ſive objectum, *inſtinctui naturali*, *ſenſui interno*, *externo*, vel *diſcurſui* competat, ea invenire oportet, quæ rem conſtituunt: quibus inſtructus, in unitate objecti cujuſcunque (puncto excepto) aliquid ſuper-additum ſimpliciſsimo principio comperies, cujus Naturam ſeorſim, ſive per ſe, vel confertim, ſive quaſi ſimul, juxta facultates reſpondentes indagare licet : cujus opus iſtâ lege ſatis moleſtum, uſus & aſsidua exercitatio in plurimis jam dudum facile effecit : proinde in objecti cujuſcunqne ſpeculatione, duplicem illam Naturam comperies, (de qua ſuprà) *communem & particularem*: *communis* autem conſideratur, vel in relatione quam objectum erga ſeipſum, vel erga alia obtinet, quarum prior rei *quidditatem*, altera *ad-quidditatem* denotat : quodcunque igitur in omni objecto, uno eodemque modo afficit facultates

noſtras,

noſtras, ad differentiæ latitudinem ſpectat, ſed eam quæ in objecto cernitur, cujus terminos idcirco undequaque explorare oportet; quodcunque denique in hoc objecto eodem modo afficit facultates noſtras, quô illud olim, ad rei *ad-quidditatem*, quatenus eâdem cum illo Analogiâ ſita eſt, reduci debet: Heic igitur terminos inter ſe committit intellectus noſter, & quod uno eodemque modo afficit facultates noſtras, idem quo ad nos eſſe ubique prædicat: ex communibus interea, communes; ex proprijs, propriæ rerum Naturæ indagantur: quo pacto ex *communibus*, rerum *convenientiæ*, ex *proprijs*, rerum *diſconvenientiæ* inveſtigandæ ſunt: quod paucis (quodcunque detur objectum) tanquam *ſcientiæ arcanum* proponimus; neque enim uſpiam, ſine ſignaturis novis, novi effectus produntur, ex quibus idcirco, rerum *quidditates* intimæ, eruendæ ſunt. Hiſce poſitis, triplex enunciandi genus inſurgit, *quidditativum*, *Analogicum*, & *mixtum*. *Quidditativè* enunciari poteſt quando conſtituentes termini objectorum, ita diſponuntur, ut conditionibus datis, & ipſæ dentur objectorum conformitates: *Analogicè* enunciatur, quando termini conſtituentes (licet ex communi ſententia agniti) ob defectum conditionum, ita nos latent, ut nihil niſi ex remotis ſimilitudinibus conjectari poſsimus; neque enim imperfectiones noſtras in facultates quæ nihil non percipere poſſunt (modò conditiones adſint,) ſed in ipſos conditionum defectus reijcimus; exemplum apponemus, ne te turbent iſta; *quô modô prima cauſa* agat, *qualis* ſit menſura *æternitatis*, niſi ex actionibus noſtris, tempore noſtro, (idque ſatis ineptè) æſtimare non poſſumus; quod enim *prima cauſa* agat, quod quædam detur *æternitas*, communes ſunt notitiæ: *Mixtè* enunciatur, quando quædam ex ipſis rerum terminis ritè conformatis, quædam ex conjecturâ deſumuntur. Quemadmodum ſi de totâ *figurâ*, *lumine*, &c. *aſtri*, cujus ulterior

pars nos latet, audacter pronunciaremus; aliqui enim termini nos latent, quemadmodum etiam, ſi de *primo motore* ſcientificè loqueremur, quia quædam de motu ſatis conſtant; eſt autem omnium latiſsimum iſtud enunciandi genus, quia *diſcurſus*, ubique ſe immiſcet, ſuper uniuſcujuſque veritatis baſin, errores ſexcentos, ut plurimùm, accumulans; inde tot inconſuta figmenta, deliria, de quibus, ubi de errorum cauſis; quemadmodum interea numerum veritatum rerum, per differentias, ita differentiarum, per terminos explicavimus; ultimò igitur in ſuos terminos differentiæ reſolvuntur, quas niſi omni ex parte complectaris, defectiva erit ſcientia; ſive igitur objectum *rei*, ſive *verbi*, ſive *ſigni*, ſive *ſimplex*, ſive *complexum* detur, totum ex terminorum inveſtigatione abſolvitur negotium; quô modô latentes explorandi, difficiles explicandi, dubij diſtinguendi, quibus veritas cara eſt, ut tandem etiam in facultates reſpondentes, & leges conformationum deveniatur: Hiſce circa differentiarum eſſentiam, & Naturam ita ſtatutis, in omni objecto naturali, quaſdam *communes*, quaſdam *proprias*, vel quandam ſaltem *propriam* comperies; inter *communes* autem, quædam ſunt magis, quædam ſunt minùs communes; quo in ſcrutinio (facultatum reſpondentium medio) à maximè communibus (cujuſmodi *Ens* fuerit) incipiendum, ut per minùs communes tranſituri, in differentias ultimas, rei *quidditatem* maximè perſtringentes, deſinatur. Heic autem conſpirationem ſignaturarum (cuicunque facultati reſpondeant) ubique advertes, ut, ex maxime communibus *genera ſumma*, ex minùs communibus, *genera ſubalterna* (quorum etſi egregius detur numerus, de hijs tamen in definitionibus vulgaribus, altum ſilentium) conficias, donec in aliquam *ſpeciem*, atque ita in *individuum*, & poſtremo in illud ipſum quod *individuationis principio* maxime eſt Analogum, deventum ſit; ubi advertiſſe juvat,

quod

quod *differentiarum communium* Naturæ ſuper-addit *genus*, (quemadmodum rectè à Scholis dicitur) eſt conſpiratio illa occulta principiorum individuationis, intenſior in genere ſuo facta, cùm plures virtutum radij concurrant, ſive res in ſeipſis, ſive earum ſpecies in memoria ſervatas intelligas: in objecto autem quôcunque, *maxime communes differentias*, illas, vocamus, quæ cùm ſint communes *individuo*, cum *ſpecie*, & maxime extra illam *ſpeciem* ſunt communes; quâ in gradatione *minus communes differentiæ* illæ erunt, quæ cùm ſint communes *individuo* cum *ſpecie*, extra illam *ſpeciem* tamen non ſunt adeo communes; ex quâ methodo (quemadmodum ſuprà adnotavimus) *genera ſumma* & *ſubalterna* conficies, donec in *differentias*, ſive *differentiam*, rei quidditatem maximè perſtringentem deveniatur; Hiſce ita ſtatutis, *generibus*, ſive *differentijs communibus* nomina adaptanda ſunt, ut ex illis, tanquam promptuarijs, definitiones rerum deſumi poſsint; neque oneroſum iſtud videbitur cuiquam, cui *veritas* in pretio eſt; neque aliter vel definitiones rerum, vel diviſiones corruptę inſtaurari poſſunt; neque aliâ lege demùm, vel communes rerum Naturæ, vel particulares (ex quibus intima Naturæ rimari licet) deprehendi poſſunt. Quod enim novum in omni objecto ſubeſt, ex nova aliqua differentia inſigniri, (ſive hominem, ſive ipſum brutum, &c. ſpectes) non ſemel monuimus; ita enim voluit (ne nos incautos opprimerent, quæ in hoc theatrum prodeunt) providentia Divina univerſalis. Porrò *communibus* à *particularibus* iſto modo ſecretis, videndum quæ *differentiæ* ita rem conſtituant, & integrent, ut illis ſublatis, & aliquid ab ipſius rei eſſentiâ dematur: quædam enim in objecto quocunque naturali deprehendi poſſe, quæ non ſunt ejus partes prorsùs neceſſariæ, nemini, in dubio poſitum eſſe credimus; differentiæ igitur quæ rem conſtituunt & integrant, in quæſtione *quid*, quemadmodum illæ quæ

accedunt, vel quidem accidunt, in quæſtione *quale* reſpondent; quorum omnium ſcrutinio, mire inſerviunt quæſtiones, *quæ omnibus*, *quæ pluribus*, *quæ aliquibus*, *quæ ſemper*, *quæ aliquando*, *quæ rarò*, *quæ ſolis* denique conveniant; ut tandem etiã in quæſtionum iſtarum complicationẽ deveniatur, ſcilicet *quæ omnibus ſemper*, *quæ omnibus aliquando*, &c. deinde *quæ pluribus ſemper*, *quæ pluribus aliquando*, atque ita pari derivatione, donec objecti Natura, (ſive *differentias communes*, ſive *particulares*, ſive *eſſentiales* denique & *conſtitutivas*, ſive *accidentales* & *adventitias* ſpectes,) explorata habeatur; cui methodo, ſive *individua*, ſive *ſpecies*, ſive *genera* in examen veniant, ſive denique *inſtinctui naturali*, ſive *ſenſui interno*, *externo*, vel *diſcurſui* ſint Analoga, ubique inſiſtendum; ex quibus, *quæ omnibus*, *ſemper*, *&* *ſolis* conveniunt, aliquod *genus* ſive *ſpeciem* denotant, quemadmodum quæ *ſolis*, *individuum*: Differentias igitur iſtius cenſus, eſſentiales & conſtitutivas vocamus, ſive individuum, ſive ſpeciem, ſive ipſa genera ſpectes; exemplum ſubijciam, in Analogia externa, *calor*, *figura*, *motus*, ſunt differentiæ eſſentiales conſtitutivę, viventis; omne enim vivens, aliquem *calorem*, *figuram*, *motum* obtinet; ita cùm denique ad ſpeciem ventum fuerit, hic *calor*, illa *figura*, iſte *motus*, differentiæ eſſentiales conſtitutivæ erunt, hujus, illius, vel iſtius ſpeciei; hic denique vel iſte *calor*, &c. individuo propriè competunt; quo pacto quæ individuo, quæ ſpeciei, quæ denique totis rerum generibus congruunt, excutienda ſunt per Methodum noſtram; ut quæ magis, quæ denique minùs ſint communia, ex facultatibus reſpondentibus conſtent, quô modô, res quęcunque tandem in ſuas infimas differentias ejus quidditatem conſignantes, & illam à rebus quibuſcunque diſtinguentes, reſolvetur; ita lineæ inflexio æqualis à centro, eſt *differentia eſſentialis conſtitutiva circuli*, & quia exinde ab omni figura diſtinguitur, & quia ita circulum conſtituit differentia

ſerentia iſta, ut ſi aliquid, vel demptum ſit, vel ſuper-additum, novum objectum detur: Hæc igitur ad quæſtionem *quid*, prout ea quæ ſunt adventitia, ad quæſtionem *quale* & *quantum* pertinent; Neque igitur ſine extrema dementia quiſpiam inter accidentia reponat, *calorem*, *motum*, *figuram*, ſine quibus non omninò fuerit vivens, talis enim *motus*, talis *calor*, talis *figura*, ut ſint accidentia, ipſe *motus*, *calor*, *figura* non erunt: proinde, ut hic *motus*, ille *calor*, iſta *figura* homini, hic *motus*, &c. equo conveniant: neque *homini*, neque *equo* accidunt, ſine quibus non omninò fuerint; Aliter tamen fit in *ferro*, ut enim *figura* in genere, ſic differentia eſſentialis conſtitutiva ferri, *calor* vel *motus* in ferro ſunt accidentia: Neque igitur ex propria Natura, ſed quia alijs ſubjectis, accidere poſſunt, iſta vocantur accidentia; ſine *calore* enim, vel *motu*, ferrum propriam ſervat Naturam, ſine illis homo extinguitur: hæc igitur per ſe ſunt manifeſta. Quod interea reſpectu hujus objecti erit ſubſtantia, reſpectu illius erit accidens, & vice verſa, quod ut cætera mittam argumenta, ipſe *ſenſus*, & *communes notitiæ* docent; Faceſſant igitur prędicamenta illa vulgaria, à quibus niſi expediamur, de veritate deſperandum eſt: Quorum loco hanc noſtram totius rerum ſcrutinij Methodum proponimus, breviter licet, & fortaſſe magis obſcurè, quàm par fuit, quod an ſoli præſtiterimus videant, qui iſta capiunt. Hoc interim ad majorem illuſtrationem adijcere placuit, differentias quæ ex facultatibus reſpondentibus in rerum collatione, *omnibus ſemper & ſolis* competere deprehenduntur, ſumma rerum genera conſtituere; proxima quæ *pluribus ſemper & ſolis*; denuò quæ *omnibus & ſolis*, *ſed non ſemper*, poſt illa, quæ *pluribus & ſolis*, *ſed non ſemper*, demùm, quæ *aliquibus*, *aliquantiſper*, & *ſolis*, ut poſtremo etiam in ea, quæ *ſolis* conveniunt, deveniatur; ſunt enim principia individuationis; qua in deductione advertendum eſt, differen-

 tiam.

tiam, quæ *omni* & *ſoli* competit (ut riſus in homine) licet non *ſemper* adſit, inter accidentia tamen reijci non debere, quia hominis quidditatem integrat; licet igitur quæ non ſemper adſunt, & ſine quibus res propriam ſervant Naturam, ad quæſtionem *quale* pertineant, ut ſuprà docuimus, in ijs tamen quę rem aliquam ita ſignant, ut exinde differentiam aliquam propriam nanciſcatur, aliter fit, quod ſupra & quidem iſto in loco adnotare placuit: Harum igitur origines & cauſę, illis imprimis ſuſpiciendæ ſunt, quibus, intimas rerum quidditates penetrare in animo eſt, vel ſaltem ſi ulteriùs non detur, aliquid peculiare ſubeſſe, quod ex uſu & obſervatione addiſci poteſt, cogitandum; nunquam enim fallit Natura, vel ſine re notam, vel ſine nota, rem, apponit; *differentiæ* interea *eſſentiales* & *conſtitutivæ* primò deſignandę ſunt in objectis quibuſcunque, ut tandem etiam, quod novum ſubeſt, ſua peculiari gaudeat animadverſione; Hiſce igitur quæ objectum conſtituunt, deinde etiam ijs quæ adijciuntur, ſeparatim perſpectis, aliquam in omni ſtatu *perfectionem* dari, comperies, ſine cujus cognitione, quæ illam *exuperant*, vel quidem ab illâ *deficiunt*, æſtimare impoſsibile; hujus interea ut ſit latitudo quædam; abſque illius ſcientia tamen, *quid* ſit aliqua perfecta ſpecies, ſive idea edici nequit; cùm autem (quod hucuſque ſubticuimus) omnis *differentia*, ex qua ſuperior aliqua ſpecies ab inferiori diſtinguitur, ſit ejus *perfectio* quædam & *complementum*, ſapientiſsime per differentias iſtas ulteriùs proceditur; ſunt enim *differentiæ* illę, quæ *ſpeciei* competunt, eorum quæ ſuperſtruuntur, fundamenta & baſes, modò rerum ſeriem expendas; aliter tamen fit in *individuis*, quorum differentiæ quæcunque ſunt *imperfectionis notæ*; à ſtatu enim illo receditur, cujus aliquis ſaltem datur apex; quæ ut clariùs conſtent, quædam de ipſa *quidditate hominis* ex Methodo noſtra ſubijcienda duximus; Poſt communem

igitur

igitur Naturam ex univerſis facultatibus Analogis perſpectam, (quo in ſcrutinio, quæ in quæſtione *quid*, quæ denique in quæſtione *quale* reſpondeant, imprimis diſtinguenda ſunt) juxta genera ſumma & ſubalterna, differentię hominis, quæ emergunt in Analogia *inſtinctus naturalis*, ſunt cunctæ ferè *notitiæ communes* (quaſdam enim communes nobiſcum, beſtiæ obtinent) in Analogia facultatum internarum, *ſpes*, *fides*, *amor*, *gaudium*, & *ſoluta illa in oppoſita libertas*; neque enim in brutis deprehendi poſſe iſta, luculenter ſuo in loco demonſtravimus, quæ idcirco repetat Lector; in Analogia ad facultates externas, *figura quædam propria*, & *ſymmetria*, medio notitiarum communium rite deductarum explicata, in quâ *manus*, *ad ſermonem organa quædam*, *motus*, *calor*, *color* quidam, *glabrities*, &c. advertenda ſunt: in Analogia ad facultates diſcurrentes, *mira illa diſcurrendi & ratiocinandi promptitudo & velocitas*, & *ipſa tandem contemplatio*; plurima denique alia, quæ ex Methodo noſtra, *quæ omnibus*, *quæ ſemper*, &c. & facultatibus Analogis deprehendi poſſunt: ex quibus quæ ad Analogiam internam ſpectant, maxime hominem integrant; ab externis enim, niſi quatenus ſunt in ordine ad facultates internas, parum juvamur; ideò in *figura*, linearum proportio, in *motu*, numerus, in *calore*, &c. temperies conſuli poſſunt; quo pacto totæ differentiæ externæ, ad internas in ſuâ ultimâ reſolutione, reduci debent, modo leges conformationum, & facultatem reſpondentem, ubique advertas: quæ intereą in votis habemus, ex differentijs petenda ſunt, illis nimirum quæ ſpeciei conveniunt; nihil enim à Naturâ (in tota illâ rerum ſerie, quæ ab Elementis incipit, & in hominem deſinit) *ſpeciei ſuperadditum*, quod ad ejus *perfectionem* non facit, ſupra docuimus; inde *dente* Aprum, *cornu* taurum petere, rectè dicitur; aliter tamen de differentijs, quæ individuo competunt, cenſendum, quę *imperfectionem*, & ut plurimum

mum *ominoſum* & *funeſtum* aliquid denotant: Hæc autem de methodo noſtrâ in rerum quidditatibus inveſtigandis, breviter dicta ſunto; à quâ quantum receſsit definitio illa vulgata hominis, paucis expendemus. Homo eſt animal rationale: quam utroque termino infirmabimus: ut enim omnis homo, reſpectu hujus actionis ſit animal, reſpectu iſtius erit vegetabile, reſpectu illius Elementum, quædam enim communia cum hijs omnibus obtinet; Neque demùm ſemper eſt animal, in utero enim vitam degit vegetabilem, neque ſolus, quodcunque enim ſenſum habet, æque eſt animal, neque denique ſemper eſt rationale, irrationem enim cum beſtijs communem obtinet; inde indoles ovinæ, avinæ, lupinæ, caninæ; neque ſolus, ut enim mittam bruta, &c. ipſa Elementa habent rationem propriæ conſervationis, ultra quod nihil ſapit; rectè igitur diximus totas ferè communes notitias (aliquæ enim in Elementis, plantis, &c. deſcribuntur) maxime vero illas, quæ circa Religionem verſantur, cunctas facultates denique ad *ſpem*, *fidem*, *amorem*, *gaudium*, *libertatem*, *contemplationem*, &c. hominis quidditatem integrare, quia *omnibus*, *ſemper* & *ſolis* conveniunt, modò conditiones adſint, ſine quibus neque animal fuerit homo, neque rationale; nullam enim facultatem, ſine conditionibus intermedijs proficere voluit Deus Opt. Max. ut gratiam ſuam quotidianam, votis & precibus noſtris aſsiduis exoratam experiremur; *facultates* igitur ad *rationem* obtinet homo ſemper, ipſa ut deſit ratio, quod imprimis in verbo *rationale* advertendum eſt; qua acceptione tanquam anguſtam potiùs, quàm falſam, definitionem iſtam, paulò acriùs perſtrinximus: Nequid interea hoc in argumento deſit, última aliqua hominis differentia inveſtiganda eſt, quæ neque ſuperiori, neque inferiori alicui Naturæ, convenire poſsit; quemadmodum enim *intellectum*, *amorem*, *libertatem*, cum Deo, ita *irrationem*,

concupiſcentiam,

concupiſcentiam, neceſſitatem, cum brutis, &c. communem obtinemus; ex cujus ſcrutinio accuratiori, ſolæ & ultimæ hominis differentiæ, *Religio* & *fides* inſurgunt; dico *vera Religio*, & *fides vera*, illa nimirum, quæ ex probâ conformatione facultatum, quæ circa Religionem verſantur, oritur; ex quibus non ſolùm *ad ſuprema ferimur*, ſed facimus etiam, ut *illa ad nos demittantur*; ſunt enim extremorum vincula, & proinde in homine depoſita, qui & ipſe inter ſuperiora, & inferiora medium quiddam eſt; quæ ut apertiùs conſtent, dicimus *omni ſemper* & *ſoli* convenire: *omni*, quia nemo ſanus & integer non quoddam colit Numen, ſive Deum, ſive Naturam dicas; nemo denique non quodammodo confidit *ſemper*, quia hâc ut *Religione*, *fide* excidamus, ſuborietur illa, quo pacto ipſa etiam confidit deſperatio; *ſoli*, quia neque illius eſt indiga vel perfectio Divina, vel brutorum imperfectio; perfectio Divina, illâ opus non habet, quia nihil præterea ſupereſt quod perfectioni Divinæ adijci poſsit; in brutis denique ſupervacaneæ fuerint, nullus ſi hâc vitâ, melior maneat ſtatus, cujus compotes eſſe poſsint; utcunque certum eſt, nullam præclaram inter bruta, extare Religionis formulam; ut ducas igitur *intellectum*, *amorem*, *gaudium*, *libertatem* noſtram, &c. Divina eſſe attributa; ut denique omnem brutalem affectum, ad Naturam corpoream ableges; *Religio* & *fides* ſuperſunt, quę ad nos ita intime ſpectant, ut hominis differentiæ ultimę, meritò habeantur; ideò non ſolùm *ſuperiora* cum *inferioribus*, ſed ipſa etiam *præterita*, cum *futuris* componit, connectit, & quidem inter ſe contexit *Religio* & *fides* immenſa: & nihil non conciliare, rectè creditur; à Deo igitur infinito ut ſint, cum Deo denique ut conformari gaudeant, neque in Deo, neque in brutis deprehendi, ſatis conſtat; ex quibus patet, axioma noſtrum, ſpecies quaſcunque, ex differentijs à Natura tributis, perfectio-

nem

accedunt, vel quidem accidunt, in quæſtione *quale* reſpondent; quorum omnium ſcrutinio, mire inſerviunt quæſtiones, *quæ omnibus*, *quæ pluribus*, *quæ aliquibus*, *quæ ſemper*, *quæ aliquando*, *quæ rarò*, *quæ ſolis* denique conveniant; ut tandem etiã in quæſtionum iſtarum complicationẽ deveniatur, ſcilicet *quæ omnibus ſemper*, *quæ omnibus aliquando*, &c. deinde *quæ pluribus ſemper*, *quæ pluribus aliquando*, atque ita pari derivatione, donec objecti Natura, (ſive *differentias communes*, ſive *particulares*, ſive *eſſentiales* denique & *conſtitutivas*, ſive *accidentales* & *adventitias* ſpectes,) explorata habeatur; cui methodo, ſive *individua*, ſive *ſpecies*, ſive *genera* in examen veniant, ſive denique *inſtinctui naturali*, ſive *ſenſui interno*, *externo*, vel *diſcurſui* ſint Analoga, ubique inſiſtendum; ex quibus, *quæ omnibus*, *ſemper*, *&* *ſolis* conveniunt, aliquod *genus* ſive *ſpeciem* denotant, quemadmodum quæ *ſolis*, *individuum*: Differentias igitur iſtius cenſus, eſſentiales & conſtitutivas vocamus, ſive individuum, ſive ſpeciem, ſive ipſa genera ſpectes: exemplum ſubijciam, in Analogia externa, *calor*, *figura*, *motus*, ſunt differentiæ eſſentiales conſtitutivę, viventis; omne enim vivens, aliquem *calorem*, *figuram*, *motum* obtinet; ita cùm denique ad ſpeciem ventum fuerit, hic *calor*, illa *figura*, iſte *motus*, differentiæ eſſentiales conſtitutivæ erunt, hujus, illius, vel iſtius ſpeciei; hic denique vel iſte *calor*, &c. individuo propriè competunt, quo pacto quæ individuo, quæ ſpeciei, quæ denique totis rerum generibus congruunt, excutienda ſunt per Methodum noſtram; ut quæ magis, quæ denique minùs ſint communia, ex facultatibus reſpondentibus conſtent, quô modô, res quęcunque tandem in ſuas infimas differentias ejus quidditatem conſignantes, & illam à rebus quibuſcunque diſtinguentes, reſolvetur, ita lineæ inflexio æqualis à centro, eſt *differentia eſſentialis conſtitutiva circuli*, & quia exinde ab omni figura diſtinguitur, & quia ita circulum conſtituit differentia

ferentia iſta, ut ſi aliquid, vel demptum ſit, vel ſuper-additum, novum objectum detur: Hæc igitur ad quæſtionem *quid*, prout ea quæ ſunt adventitia, ad quæſtionem *quale* & *quantum* pertinent; Neque igitur ſine extrema dementia quiſpiam inter accidentia reponat, *calorem*, *motum*, *figuram*, ſine quibus non omninò fuerit vivens, talis enim *motus*, talis *calor*, talis *figura*, ut ſint accidentia, ipſe *motus*, *calor*, *figura* non erunt: proinde, ut hic *motus*, ille *calor*, iſta *figura* homini, hic *motus*, &c. equo conveniant; neque *homini*, neque *equo* accidunt, ſine quibus non omninò fuerint; Aliter tamen fit in *ferro*, ut enim *figura* in genere, ſit differentia eſſentialis conſtitutiva ferri, *calor* vel *motus* in ferro ſunt accidentia: Neque igitur ex propria Natura, ſed quia alijs ſubjectis, accidere poſſunt, iſta vocantur accidentia; ſine *calore* enim, vel *motu*, ferrum propriam ſervat Naturam, ſine illis homo extinguitur: hæc igitur per ſe ſunt manifeſta. Quod interea reſpectu hujus objecti erit ſubſtantia, reſpectu illius erit accidens, & vice verſa, quod ut cætera mittam argumenta, ipſe *ſenſus*, & *communes notitiæ* docent; Faceſſant igitur predicamenta illa vulgaria, à quibus niſi expediamur, de veritate deſperandum eſt: Quorum loco hanc noſtram totius rerum ſcrutinij Methodum proponimus, breviter licet, & fortaſſe magis obſcurè, quàm par fuit, quod an ſoli præſtiterimus videant, qui iſta capiunt. Hoc interim ad majorem illuſtrationem adijcere placuit, differentias quæ ex facultatibus reſpondentibus in rerum collatione, *omnibus ſemper & ſolis* competere deprehenduntur, ſumma rerum genera conſtituere; proxima quæ *pluribus ſemper & ſolis*; denuò quæ *omnibus & ſolis*, *ſed non ſemper*, poſt illa, quæ *pluribus & ſolis*, *ſed non ſemper*, demùm, quæ *aliquibus*, *aliquantiſper*, & *ſolis*, ut poſtremo etiam in ea, quæ *ſolis* conveniunt, deveniatur; ſunt enim principia individuationis; qua in deductione advertendum eſt, differen-

 tiam.

tiam, quæ *omni* & *ſoli* competit (ut riſus in homine) licet non *ſemper* adſit, inter accidentia tamen reijci non debere, quia hominis quidditatem integrat; licet igitur quæ non ſemper adſunt, & ſine quibus res propriam ſervant Naturam, ad quæſtionem *quale* pertineant, ut ſuprà docuimus, in ijs tamen quę rem aliquam ita ſignant, ut exinde differentiam aliquam propriam nanciſcatur, aliter fit, quod ſupra & quidem iſto in loco adnotare placuit: Harum igitur origines & cauſę, illis imprimis ſuſpiciendæ ſunt, quibus, intimas rerum quidditates penetrare in animo eſt, vel ſaltem ſi ulteriùs non detur, aliquid peculiare ſubeſſe, quod ex uſu & obſervatione addiſci poteſt, cogitandum; nunquam enim fallit Natura, vel ſine re notam, vel ſine nota, rem, apponit; *differentiæ* interea *eſſentiales* & *conſtitutivæ* primò deſignandę ſunt in objectis quibuſcunque, ut tandem etiam, quod novum ſubeſt, ſua peculiari gaudeat animadverſione; Hjſce igitur quæ objectum conſtituunt, deinde etiam ijs quæ adijciuntur, ſeparatim perſpectis, aliquam in omni ſtatu *perfectionem* dari, comperięs, ſine cujus cognitione, quæ illam *exuperant*, vel quidem ab illâ *deficiunt*, æſtimare impoſsibile; hujus interea ut ſit latitudo quædam; abſque illius ſcientia tamen, *quid* ſit aliqua perfecta ſpecies, ſive idea edici nequit; cùm autem (quod hucuſque ſubticuimus) omnis *differentia*, ex qua ſuperior aliqua ſpecies ab inferiori diſtinguitur, ſit ejus *perfectio* quædam & *complementum*, ſapientiſsime per differentias iſtas ulteriùs proceditur; ſunt enim *differentiæ* illę, quæ *ſpeciei* competunt, eorum quæ ſuperſtruuntur, fundamenta & baſes, modò rerum ſeriem expendas; aliter tamen fit in *individuis*, quorum differentiæ quæcunque ſunt *imperfectionis notæ*; à ſtatu enim illo receditur, cujus aliquis ſaltem datur apex; quæ ut clariùs conſtent, quædam de ipſa *quidditate hominis* ex Methodo noſtra ſubijcienda duximus; Poſt communem

igitur Naturam ex univerſis facultatibus Analogis perſpectam, (quo in ſcrutinio, quæ in quęſtione *quid*, quæ denique in quæſtione *quale* reſpondeant, imprimis diſtinguenda ſunt) juxta genera ſumma & ſubalterna, differentię hominis, quæ emergunt in Analogia *inſtinctus naturalis*, ſunt cunctæ ferè *notitiæ communes* (quaſdam enim communes nobiſcum, beſtiæ obtinent) in Analogia facultatum internarum, *ſpes*, *fides*, *amor*, *gaudium*, & *ſoluta illa in oppoſita libertas*; neque enim in brutis deprehendi poſſe iſta, luculenter ſuo in loco demonſtravimus, quæ idcirco repetat Lector; in Analogia ad facultates externas, *figura quædam propria*, & *ſymmetria*, medio notitiarum communium rite deductarum explicata, in quâ *manus*, *ad ſermonem organa quædam*, *motus*, *calor*, *color* quidam, *glabrities*, &c. advertenda ſunt: in Analogia ad facultates diſcurrentes, *mira illa diſcurrendi & ratiocinandi promptitudo & velocitas*, & *ipſa tandem contemplatio*, plurima denique alia, quæ ex Methodo noſtra, *quæ omnibus*, *quæ ſemper*, &c. & facultatibus Analogis deprehendi poſſunt: ex quibus quæ ad Analogiam internam ſpectant, maxime hominem integrant; ab externis enim, niſi quatenus ſunt in ordine ad facultates internas, parum juvamur; ideò in *figura*, linearum proportio, in *motu*, numerus, in *calore*, &c. temperies conſuli poſſunt; quo pacto totæ differentiæ externæ, ad internas in ſuâ ultimâ reſolutione, reduci debent, modo leges conformationum, & facultatem reſpondentem, ubique advertas: quæ intereà in votis habemus, ex differentijs petenda ſunt, illis nimirum quæ ſpeciei conveniunt; nihil enim à Naturâ (in tota illâ rerum ſerie, quæ ab Elementis incipit, & in hominem deſinit) *ſpeciei ſuperadditum*, quod ad ejus *perfectionem* non facit, ſupra docuimus; inde *dente* Aprum, *cornu* taurum petere, rectè dicitur; aliter tamen de differentijs, quæ individuo competunt, cenſendum, quę *imperfectionem*, & ut plurimum

mum *ominoſum* & *funeſtum* aliquid denotant: Hæc autem de methodo noſtrâ in rerum quidditatibus inveſtigandis, breviter dicta ſunto; à quâ quantum receſsit definitio illa vulgata hominis, paucis expendemus. Homo eſt animal rationale: quam utroque termino infirmabimus: ut enim omnis homo, reſpectu hujus actionis ſit animal, reſpectu iſtius erit vegetabile, reſpectu illius Elementum, quædam enim communia cum hijs omnibus obtinet; Neque demùm ſemper eſt animal, in utero enim vitam degit vegetabilem, neque ſolus, quodcunque enim ſenſum habet, æque eſt animal, neque denique ſemper eſt rationale, irrationem enim cum beſtijs communem obtinet; inde indoles ovinæ, avinæ, lupinæ, caninæ; neque ſolus, ut enim mittam bruta, &c. ipſa Elementa habent rationem propriæ conſervationis, ultra quod nihil ſapit; rectè igitur diximus totas ferè communes notitias (aliquæ enim in Elementis, plantis, &c. deſcribuntur) maxime vero illas, quæ circa Religionem verſantur, cunctas facultates denique ad *ſpem*, *fidem*, *amorem*, *gaudium*, *libertatem*, *contemplationem*, &c. hominis quidditatem integrare, quia *omnibus*, *ſemper* & *ſolis* conveniunt, modò conditiones adſint, ſine quibus neque animal fuerit homo, neque rationale; nullam enim facultatem, ſine conditionibus intermedijs proficere voluit Deus Opt. Max. ut gratiam ſuam quotidianam, votis & precibus noſtris aſsiduis exoratam experiremur; *facultates* igitur ad *rationem* obtinet homò ſemper, ipſa ut deſit ratio, quod imprimis in verbo *rationale* advertendum eſt; qua acceptione tanquam anguſtam potiùs, quàm falſam, definitionem iſtam, paulò acriùs perſtrinximus: Nequid interea hoc in argumento deſit, última aliqua hominis differentia inveſtiganda eſt, quæ neque ſuperiori, neque inferiori alicui Naturæ, convenire poſsit; quemadmodum enim *intellectum*, *amorem*, *libertatem*, cum Deo, ita *irrationem*, *concupiſcentiam*,

concupiſcentiam, *neceſsitatem*, cum brutis, &c. communem obtinemus; ex cujus ſcrutinio accuratiori, ſolæ & ultimæ hominis differentiæ, *Religio* & *fides* inſurgunt; dico *vera Religio*, & *fides vera*, illa nimirum, quæ ex probâ conformatione facultatum, quæ circa Religionem verſantur, oritur; ex quibus non ſolùm *ad ſuprema ferimur*, ſed facimus etiam, ut *illa ad nos demittantur*; ſunt enim extremorum vincula, & proinde in homine depoſita, qui & ipſe inter ſuperiora, & inferiora medium quiddam eſt; quæ ut apertiùs conſtent, dicimus *omni ſemper* & *ſoli* convenire: *omni*, quia nemo ſanus & integer non quoddam colit Numen, ſive Deum, ſive Naturam dicas; nemo denique non quodammodo confidit *ſemper*, quia hâc ut *Religione*, *fide* excidamus, ſuborietur illa, quo pacto ipſa etiam confidit deſperatio; *ſoli*, quia neque illius eſt indiga vel perfectio Divina, vel brutorum imperfectio; perfectio Divina, illâ opus non habet, quia nihil præterea ſupereſt quod perfectioni Divinæ adijci poſsit; in brutis denique ſupervacaneæ fuerint, nullus ſi hâc vitâ, melior maneat ſtatus, cujus compotes eſſe poſsint; utcunque certum eſt, nullam præclaram inter bruta, extare Religionis formulam; ut ducas igitur *intellectum*, *amorem*, *gaudium*, *libertatem* noſtram, &c. Divina eſſe attributa; ut denique omnem brutalem affectum, ad Naturam corpoream ableges; *Religio* & *fides* ſuperſunt, quę ad nos ita intime ſpectant, ut hominis differentiæ ultimę, meritò habeantur; ideò non ſolùm *ſuperiora* cum *inferioribus*, ſed ipſa etiam *præterita*, cum *futuris* componit, connectit, & quidem inter ſe contexit *Religio* & *fides* immenſa: & nihil non conciliare, rectè creditur; à Deo igitur infinito ut ſint, cum Deo denique ut conformari gaudeant, neque in Deo, neque in brutis deprehendi, ſatis conſtat; ex quibus patet, axioma noſtrum, ſpecies quaſcunque, ex differentijs à Natura tributis, perfectionem

nem aliquam adipiſci, in homine verum eſſe: quod non minùs utile in cæteris quibuſcunque ſpeciebus comperies: Hâc noſtrâ interea Methodo fretus, ſui ipſius cognitionem aggrediatur Lector; nobis enim ſatis in præſens fuerit iſta delibaſſe: caveant interea veritatis ſtudioſi, ne *differentias* noſtras *eſſentiales conſtitutivas*, (ſive in individuis, ſive ſpeciebus, ſive ipſis generibus deprehendantur) inter accidentia peritura numerent, quaſi vel adeſſe, vel abeſſe potuiſſent citra ſubjecti corruptionem: cujus erroris, ut famoſum iſtud *ſubſtantiæ* verbum ſit cauſa, quia tamen contra Auctores ſcribere præſens inſtitutum non patitur, ſatis habeant Lectores, Methodum hanc ad *quidditates* rerum inveſtigandas, in veritatis gratiam, à nobis proponi; ex quâ & facultatibus proprijs, (modò leges conformationum ubique advertant,) ſapientiores evadent, auſim dicere, quàm ex protritis Philoſophorum Scholis: Reſtat ut quæ facultates hac in quæſtione reſpondeant, explicemus; reſpondent autem *inſtinctus naturalis*, *ſenſus internus*, *ſenſus externus*, & *diſcurſus*, & inter hęc maximè, quæ maximè extrema rerum pertingunt. Primę autem complicationes hujus quęſtionis ſunt, *quid-an ſit*, *quid-quid ſit*, *quid-quale ſit*, *quid-quantum ſit*, *quid-ad quid ſit*, *quid-quomodo ſit*, *quid-ubi ſit*, *quid-quando ſit*, *quid-undè ſit*, *quid-cujus gratia ſit*, inter quas arctiùs nectuntur, *quid-quale*, *quid-quantum*, *quid-ad quid*, neque enim à quæſtione *quid*, divelli poſſe videntur.

Facvltas *quæ movet quæſtionem* qvale.

Qvaestio iſta à priori pendet; niſi enim *quid* res aliqua ſit intelligas, *quale* fuerit, non capies unquam; mutuò igitur in ordine conſiſtunt; licet interea, & ipſius

qualitatis

qualitatis quędam detur *quidditas*; in complicationibus enim quæſtionum noſtrarum, quæſtionem *quid-quale* invenies, quia tamen omnis differentia, quæ in iſta quæſtione reſpondet, ex prænotione alicujus *quidditatis*, ortum ducit, quia denique *quidditati* illi ita inhærere vel ineſſe videtur, ut exindè *intenſionem* aliquam ſuſcipiat, vel *remiſſionem*, ſubjectum tale denominat; ſtatus igitur uniuſcujuſque rei, per cunctas facultates Analogas, & Methodum quam in quæſtione præcedente, inſtituimus, primò expendendus, ut tandem in quæſtionem iſtam deveniatur; nulla enim, niſi reſpectu *quidditatis* ſuboritur *qualitas*; quô modô, quæ *excedunt ſtatum naturalem* uniuſcujuſque rei, vel quidem *ab illâ deficiunt*, in quæſtione iſta reponuntur; non ſolùm interea Philoſophorum, ſed Medicorum maximè intereſt, ut iſta pernoſcant, per *diſſimilitudinem* enim imprimis morbos venantur: Poſt igitur, *differentias eſſentiales conſtitutivas* rerum perſpectas, earum *gradus*, *affectiones*, &c. explorandæ ſunt, quarum diſquiſitioni inſerviunt quæſtiones, *quæ omnibus*, *quæ pluribus*, *quæ ſemper*, *quæ aliquando*, &c. quo pacto, quæ, poſt ſtatum expenſum, vel deſunt, vel quidem ſuperſunt, quæſtioni iſti vindicantur; errant igitur, qui qualitates rerum, abſque quidditatibus ſe perſpectas habere poſſe cogitant; quemadmodum interea termini quidditatum, per quæſtionem *quanto-quid*, ita termini qualitatum, per quæſtionem *quanto-quale*, deſignandi ſunt; Quæ omnia, ut faciliùs complectaris, in inveſtigatione noſtrâ, *quæ omnibus*, *quæ pluribus*, *quæ ſemper*, *quæ aliquando*, &c. accidunt, iſtæ imprimis qualitatum ſignaturæ deprehenduntur; *primò*, non ſemper adeſſe, quâ in deductione, quæ *ſæpè*, quę *rarò*, quæ *aliquando*, quæ *inſolitò* contingunt, ſeorſim contexi, & ſubinde reponi conſulimus; ad præcautionem enim errorum maximè inſerviunt; *Secundò* res ſine illis propriam ſervare Naturam: quo pacto *differentiæ conſtitutivæ*, licet

non ſemper adſint, à *qualitatibus* diſtinguuntur; ideò ut non ſemper rideat homo, quia tamen riſus omni & ſoli competit, inter *differentias eſſentiales conſtitutivas* hominis à nobis ſtatuitur. *Tertiò*, ſubjectum exinde *intendi*, vel *remitti*, qua ratione à *quantitate* imprimis diſtinguitur: Quę omnia faciliùs perficies, ſi quæſtione iſtâ, cum reliquis quæſtionibus complicatâ, per illas demùm, totam accidentis (de quo agitur) ſeriem, à ſua origine deduxeris, & *undè-tale*, *quantum-tale*, *quomodo-tale*, *adquid-tale*, *quando-tale*, &c. accuratè expenderis; ne interea horum exemplum aliquod deſideres, in memoriam revocandum eſt, *calorem*, *motum*, *figuram* inter differentias eſſentiales conſtitutivas viventis poſitas fuiſſe, & proinde in quæſtione *quid* reſpondere; *calor* igitur *ad ſudorem*, *figura capitis obſtipi*, *motus ſolitô*, *vel pernicior*, *vel tardior*, ad quæſtionem *quale*, vel *quanto-quale* pertinent, ſubjectum enim tale denotant. Pari lege cùm ad hominem ventum fuerit, in fame vel ſiti, *Boulimos*, *Aſcites*, in riſu *cachinnus*, hominem talem nuncupant; abſque hijs enim, homo propriam ſervat Naturam; neque igitur dicimus *qualitatem* eſſe accidens, per quod ſubſtantia eſt efficax; quaſi ſi deeſſent accidentia, omnis ſubſtantia ſopita & iners deliteſceret; ſed *qualitates*, ad differentias illas quaſcunque, quæ *ultra*, vel *citra* rei cujuſcunque *ſtatum naturalem* deprehenduntur, reſtringimus; quo pacto, cùm utrinque res obſideant, in contrario gradu poſitæ dicuntur; *latitudo* quædam interea ut unicuique *ſtatui naturali* permittatur, intra quam ſatis commodè ſubſiſti poteſt, (quemadmodum ſi in homine jecur paulò calidius, cerebrum paulò frigidius juſtô exiſteret) quodcunque tamen temperaturam illam admodum excedit, ut in *febricitante*, vel citra illam deprehenditur ut in *Lethargico*, *differentiæ eſſentiales conſtitutivæ febricitantis*, vel *Lethargici*, ut ſint, hominis *ſani & integri* non erunt; *defectus* igitur & *exceſſus* iſti, ut in quæ-

ſtionem

ſtionem *quale* reijciantur (ſi ſtatum naturalem hominis attendas) ipſe *calor*, ſine quo nec homo fuerit, nec vivens, ad quæſtionem *quid* attinet, & tanquam effectus determinatus cauſæ ſuæ, neceſſario ſub conditionibus proprijs agentis, recipitur; quo pacto, quod in *homine* ſubſtantiale eſt & quidditativum, in *ferro* adventitium eſſe & peregrinum, & quod reſpectu hujus eſt *accidens*, reſpectu illius eſſe *ſubſtantiam*, ſuprà adnotavimus; Quæſtio autem iſta ad ea, quæ caduca (ex ſententiâ noſtrâ) ſtatuuntur, propriè ſpectat; ut quę ſola *intendi* poſsint & *remitti*, & quodammodo *corrumpi*; quod in facultates Divinas noëticas non cadit; ideò ut *qualis morbus*, *qualis intemperies* rectè affirmetur, non *qualem intellectum*, *qualem fidem*, *qualem amorem*, *libertatem*, &c. ſed *quantum*, dixerim: Neque enim dilatari aut ampliari, ſed detegi potiùs & explicari facultates Divinas noëticas ęquum eſt credere; Quę enim ad formam internam attinent, quia ſubjecto carent in quo ineſſe poſſunt (quod accidentium eſt proprium) ad quæſtionem *quanto-quid* reducuntur; neque igitur in anima, ſed ipſa anima ſunt; ne interea Lector circa noſtra torqueatur, adnotare placuit, quęſtionem *in quo*, ad quęſtionem *quale* attinere, quia, ex ſententia noſtra, qualitates in quidditatibus, tanquam in ſubjecto hærent; in quibus idcirco totam accidentium latitudinem, ſatis apertè poſuimus; Quam incongruè igitur à Scholis, ad accidentium Naturam extenduntur ea, ſine quibus neque *genera*, neque *ſpecies*, neque *indi-vidua* ſubſiſtere poſſunt, ex noſtris conſtat. Quę autem in quæſtione iſtâ, appoſitè reſpondent facultates, in genere, ſunt (in nobis) *inſtinctus naturalis*, & *ſenſus internus corporeus*. (extra nos) *inſtinctus naturalis*, & *diſcurſus*: licet enim ipſæ *qualitates* in corporea, tanquam in ſubjectum, ubique cadant, earum ſcientia & dignotio, ad *intellectum* propriè & per ſe ſpectat. Primæ complicationes hujus quæſtionis ſunt, *quale-an*,

le-an, *quale-quid*, *quale-quale*, *quale-quantum*, *quale-adquid*, *quale-quomodo*, *quale-ubi*, *quale-quando*, *quale-undè*, *quale-cujus gratia.*

FACVLTAS *quæ movet quæſtionem* QVANTVM.

SVB quæſtione iſtâ, terminorum inveſtigatio cadit (ſive *finitum* illud, quod aliquibus, ſive *infinitum*, quod nullis concluditur terminis advertas;) cùm interea, niſi, omni ex parte, explorentur termini, *quanta* res aliqua ſit, dici nequeat; quodcunque poſt terminos exactè expenſos, deprehenditur, quantitatis area exiſtimanda eſt: quod quidem, ſive *res*, ſive *verba*, ſive *ſigna*, ſive *in nobis*, ſive *extra nos* ſpectes, ubique adnotare juvabit, cùm exinde omnis quæſiti extenſionem, ſive molem deſignare par ſit; licet interea extra quæſtionem iſtam, nihil, niſi *infinitum* illud, cujus nullus eſt terminus, dari poſsit, intra illam, cunctæ facultates impendi ſolent, cùm nullo in *quanto*, non concludatur aliquid, omni facultati Analogum; cæterum, quia de iis, quæ propriè, hoc ex ſcrutinio decernuntur, agimus, duplicem ex Scholarum ſententiâ, quantitatem deprehendimus, *continuam & diſcretam*; quarum, hæc, *quantitas*, illa *quotitas* ex earum Latinitate dicenda fuerit; quæ cùm diverſum ſenſum inducant, & diverſa conformationis media poſtulent, diverſis facultatibus, propriè & per ſe, competunt: Principium autem *continui* eſt *punctum*, *diſcreti unitas*; præcipuæ autem affectiones, quantitatis continuæ, ſunt, *æquale & inæquale*; numeri *par & impar*, à *qualitate* autem diſtinguitur omnis ſive *quantitas*, ſive *quotitas*; *Primò*, quod non habeant *contrarium*, & proinde nullum per ſe motum, ſive corruptionem: *Secundò*, quod neque *intendi* poſsint, neque *remitti*, neque enim *addere*, vel *ſubtrahere*, eſt *inten-*

 dere,

dere, vel *remittere*: *Tertiò*, quod *ſenſus internos*, illos nimirum qui circa *bonum* & *malum*, ſive *utile* & *noxium* verſantur, non pertingant; neque enim *quantitas*, vel *quotitas* (per ſe ſcilicet, abſque *figura*, vel *proportione* intellige) vel ſenſus internos afficit, vel *bonum*, aut *malum*, ex Naturâ ſuâ eſſe videtur: Reſtat, ut quomodo inter ſe diſtinguantur, *quantitas* & *quotitas*, ex Methodo noſtrâ, quæ ſingula juxta facultatum Analogiam exagitat, explicemus. Quod facillimè capies, ſi per ſenſoria ſola *tactus* & *viſus*, facultates illas quæ circa *quantitatem continuam*; per meatum *auditus*, illas etiam quæ circa *diſcretam* verſantur, excitari advertas; ideò mirè cum *proportionatis numeris* conformantur facultates, ad quas, per aurium foramina datur ingreſſus, delectationem, ex *ſymphonia*, vel moleſtiam ex *Cacophonia*, percipientes: Attamen ex *guſtu*, vel *odoratu*, nihil per ſe in utrâvis quantitate, deprehendere licet; quod enim ex dentibus affixis Chely, dum pulſatur, audire (vel obturatis auribus) queas, ex eo provenit, quod conjugationes nervorum, quæ huic miniſterio dicantur, per gingivas tranſeuntes, munus anticipant ſuum: Hjſce autem, circa Analogiam ſenſuum externorum & internorum, ad utramque quantitatem, explicatis, reſtat ut quomodo ſe habeant, hac in quæſtione, *inſtinctus naturalis* & *diſcurſus*, explicemus; *Inſtinctus* autem *naturalis*, plurima circa utramque quantitatem ſuggerit, frequentes igitur in Mathematicis notitiæ communes, quæ *poſtulata*, eâ de cauſâ vocari ſolent, quia nihil ſuperius, quò provocetur, exiſtat; cur interea, ſcientiæ Mathematicæ, omnium certiſsimæ habeantur, ratio in aperto eſt, quod nimirum de principijs hujus ſcientiæ *puncto* videlicet & *unitate*, ſummus detur conſenſus, quemadmodum etiam de *notitijs communibus*, ſive poſtulatis, unde tota Matheſeos iſtius ſeries deducitur; quapropter *diſcurſus* majori, quàm in reliquis Philoſophijs certitudine, iſtius

ſcientiæ normam dedolat: Principia verò formalia, *odorum*, *ſaporum*, *colorum*, &c. ita in receſſu abdita ponuntur, ut nihil certi de eorum Natura, & ſtatu, affirmare poſsimus: de quibus, igitur, hoc, unicè, abſque errore dici poteſt, qualitatibus illis ſolennibus Elementorum, non reſpondere: quid enim cum calido, ſicco, humido, vel frigido, commune obtinet cæruleum? iniquè igitur ex jejunis iſtis principijs, univerſas differentiarum claſſes, educere conata eſt Schola, licet intra Elementorum ambitum, quodammodò deliteſcant: Hæc autem de ijs quæ ad quæſtionem iſtam attinent, & facultates Analogas denique, breviter, & more noſtro, dicta ſunto: Ad complicationes primas hujus quæſtionis accedimus. Complicationes autem primæ ſunt, *quantum-an*, *quantum-quid*, *quantum-quale*, *quantum-quantum*, *quantum-aliquid*, *quantum-quomodo*, *quantum-ubi*, *quantum-quando*, *quantum-undè*, *quantum-cujus gratia*.

Facultas *quæ movet quæſtionem* ad-quid.

Sub quæſtione *quid ſit*, rerum *quidditates*, ſive Naturas individuales & genuinas explicavimus; huc igitur earum *ad-quidditates*, ſive *Relationes* & *Analogiæ* reducuntur: Quemadmodum enim, illa, quid res ſint per ſe; iſta, quid ſint ad alia, diſquirit; arctiſsimè igitur, quod ſuprà adnotavimus, connectuntur, quæſtiones iſtæ, diſcuneatæ licet, & diſtinctæ ſatis, ex Methodo noſtra, exponantur; Huic interea quęſtioni, tanquam omnium latiſsimæ, totam rerum Analogiam vindicamus, neque enim ſolùm *convenientias* rerum, & *conformitates*, ſed & *diſconvenientias*, & *difformitates* quaſcunque, & ipſa tandem contradictoria diſparata, oppoſita, & contraria, &c. hujus cenſus expendit; in quam idcirco, univerſa *actionum* & *paſsionum*, *ſympathiarum*

pathiarum & *Antipathiarum* prędicamenta & ſeries digeſſimus, cùm ſine relatione aliqua præcedente, nulla vel *actio*, vel *paſsio* dari poſsit; Hæc igitur *actionum* & *paſsionum* ſumma norma eſto; uti, quæ ab Analogiâ illâ mutuâ, in qua conſtituuntur res univerſæ, ita pendent, ut ſi conditiones illæ adſint, (ſine quibus virtutes rerum quæcunque, vel languidæ fuerint, vel nullæ) in actum veniant; qua ratione quæſtio *iſta*, cum quæſtionibus, *quomodo*, *ubi*, *quando*, &c. complicatur; Nos interea qui paucis, iiſque maximè diſtinctis quæſtionibus, ad memoriæ ſublevationem, uſi ſumus, ſimul cum *relationibus*, *actiones* & *paſsiones* in contemplationem adducimus: cùm, ſine *relatione* illa, (cujus vis maximè in principiorum energia cernitur) omnis materia, iners & ſopita, ſuis in Elementis, deliteſcat; quo pacto, relationum ſeriem primò, poſteà etiam *actiones* & *paſsiones*, tanquam earum reſultantiam, & ſubolem quandam in *complicationem quæſtionis iſtius*, cum reliquis *quæſtionibus* deducimus; quibus ita ſtatutis, *relationem*, ſive *adquidditatem iſtam*, ad totam rerum compagem promiſcuè extendimus, ita ut triplex omninò fuerit *relatio*. *Primò*, *realis*, *ſecundò*, *attributionis*, *tertiò*, & *mixta*, quarum unaquæque denuò triplicem ſortitur conſiderationem. *Primò*, in *Analogia rerum ad nos*, *ſecundò*, in *Analogia rerum inter ſe*, *tertiò*, in *Analogiâ horum omnium ad Deum*, ſive *primam illam cauſam*, rerum ſeriem & momenta diſponentem; quorum explicationem ut aggrediamur, quædam de terminis, ſive poſtremis differentiarum notis, in memoriam, revocanda ſunt, quos triplices etiam obſervamus *quidditativos*, *Analogicos*, & *mixtos*; *Quidditativos terminos* (ſuprà in quæſtione *quid eſt*) illos vocavimus, per quos, hę res non ſunt aliæ, quos ideo, inter *differentias eſſentiales conſtitutivas* enumeravimus. *Relativi*, ſive *Analogici termini*, illi ſunt, qui cum *conſtitutivi* reſpectu ſubjecti dici poſsint, quia

tamen

tamen *relationem* ad extra obtinent, ad aliud quiddam, ſub conditionibus ſuis, præfiniuntur; proinde *termini mixti* fuerint, qui utriuſque Naturam, ita præ ſe ferunt, ut ex uno termino *quidditativi*, ex altero *Analogici*, dici poſsint. Quia autem terminos inter ſe, componi & committi poſſe declaravimus, apertè conſtat, varias rerum conſiderationes, novos & ponere, & tollere terminos: de *relativis* hic erit ſermo: igitur *adquidditas*, ſive *relatio realis*, in Analogia rerum ad nos, ea eſt, quæ terminos ſuos, verè & realiter, abſque omni attributione, in rerum Natura poſsidens, à facultatibus noſtris, per *ſenſum* atque *notitias communes* (conditionibus debitis intercedentibus) percipi valet: Eſtque vel ad *conformitatem*, vel ad *difformitatem*; ad *conformitatem*, uti *verum*, *bonum*: quo pacto, conditiones debitas obtigiſſe, exiſtimandum eſt: ad *difformitatem*, ut *error*, *impietas*: in quibus vel totas, vel aliquas ſaltem, quæ ad veram objecti conformitatem deſiderantur, conditiones defuiſſe, ſtatuendum eſt: *Adquidditas* ſive *relatio realis*, in Analogia rerum inter ſe, ea eſt, quæ terminos ſuos *relativos*, verè & realiter, abſque omni *attributione*, extra nos poſsidens, à facultatibus noſtris per ſenſum aliquem, ex *relatione* rerum reciprocâ oriundum, & ad facultates noſtras ſubinde terminatum, conditionibus debitis intercedentibus, percipi valet: Eſtque vel ad *conformitatem* rerum inter ſe, vel ad *difformitatem*: ad *conformitatem* rerum inter ſe, ut *actiones naturales & debitæ Elementorum*, *mineralium*, *vegetabilium*, *animalium*; huc denique *majoritas*, *minoritas*, *totum & partes*, (cùm inter ſe proportionatæ fuerint) reduci poſſunt; ad *difformitatem*, ut *monſtra*, *anomala*, *diſproportiones*: *Adquidditas* ſive *relatio realis*, in *Analogia* rerum *ad primam cauſam*, etiamſi ex termino ad nos, deſumi poſsit, quia tamen, non ſolùm in nobis, ſed extra nos, & ubique deſcribuntur *relationis iſtius termini*, ideo per ſe ſpectabilis,

proprium

proprium ſibi adſciſcit locum: *adquidditates* autem ſive *relationes reales* quæcunque, ex *inſtinctu naturali*, potiſsimùm mediante *diſcurſu* & *ſenſu interno*, percipiuntur. In quæ enim *diſcurſus* jus integrum habere videtur, ad *relationem attributionis* attinent. *Adquidditas* autem ſive *relatio attributionis*, ea eſt, quæ fundamentum ex utroque termino, non propriè, vel realiter, in rerum Natura, ſed in modo intelligendi obtinet, ut *dominia quædam*, & *ſervitutes*, *honores*, *Encomia*, *Ceremoniæ*, &c. *Relatio mixta*, ea eſt, quæ cum fundamento alicui reali innitatur, ſuper-additum tamen aliquid ex *attributione* obtinet, eſtque præcedentium latiſsima: cùm enim nihil adeò caſtum & ſincerum in doctrinis quibuſcunque deprehendi poſsit, quod non corruptionem & impoſturam, ſive ab ingenijs ſubtilioribus, ſive quidem à craſsioribus patiatur aliquam, objectum quodcunque, ultra propriam Naturam, fortaſſe non ſatis exploratam, aliquid ex *attributione* obtinebit; ideo in educationibus puerorum, legibus, Religionibus (in omni denique Analogia) plurima depravata, iniqua, prophana, qua ratione, in omni *adquidditate* ſive *relatione*, fundamenta relationum (in quæſtione *unde-adquid*) quatenus licet, inſpicienda ſunt: Cùm enim fundamenta varia eſſe poſsint, (in *actionibus* enim & *paſsionibus*, mutuas ineſſe ad *relationem* vires exiſtimandum eſt) verum *fundamentum* illud vocamus, quod maximè eſt actionis principium: licet, interea, in *relationibus* nota ſit legitima, quod ſimul cum *correlatis*, ponantur & tollantur, hoc tamen intereſt, quod *fundamentum* ſi maneat integrum, *actionis* reiteratio quædam, ſive regeneratio dari poteſt, quod neutiquam fit, ex altera parte: etiamſi enim ſublato *filio*, æque ac ſublato *patre*, tollatur *relatio*: fundamentum tamen, ſcilicet *vis generativa*, manere poteſt; at ſublato patre, tollitur & *relatio*, & *fundamentum paternitatis*; ſemper igitur fundamenta, quatenus licet recen-

ſenda ſunt, & à proximo ad remotum, & deinde ad remotiſsimum deveniendum eſt, ut tandem in illo acquieſcatur; veluti, ſi per terminorum multiplicationem, Bonitas illa noſtra (ex Analogia cum objectis ſecundùm *ſenſus internos*, legitime conformatos, oriunda) ad *primam* deferatur *cauſam*, tanquam ſuum fundamentum ultimum, altero termino Analogico, ſubjectivè in nobis manente, ſequitur quod ceſſante *Bono* in nobis, ceſſat ex parte noſtrâ, *relatio* illa, quam ad *primam cauſam* obtinet; ęquè enim tollitur *relatio*, moriente filio, ac patre: *Bonitas* tamen *primæ cauſæ*, tanquam *Bonitatis* noſtræ fundamentum, novam generare *relationem* poteſt, & nobis tribuere olim, ut *boni* ſimus: Mira hinc oriuntur conſectaria, ſed cùm difformitas realis noſtra ex parte dari poſsit, habemus etiam unde cruciemur in æternum, cùm ſine reſipiſcentia vera, ijſdem ſemper hæſerimus veſtigijs: miſere interea torqueri Auctores obſervamus, dum *verum* & *bonum* illud, quæ ſunt *relationes reales*, à *vero* & *Bono* illo, quæ ſunt *relationes attributionis* ſive *diſcurſus*, diſtinguere neſcientes, ſubinde in Antilogias miſerrimas paſsim impingunt; eſt denique ſcitu digniſsimum, in omni actione naturali, illud, quod eſt *actionis* principium ſive fundamentum, conformitatem aliquam (juxta Analogiam in quâ conſtituitur) attentare: Ideo *ignis* aſsimilationem *aquæ* molitur, & *aqua*, *ignis*, quorum actione mutuâ, obſervabis, à principijs validioribus excludi *heterogenea*, ut *homogeneam* aliquam conforment Naturam: ubi interea plurima dantur ſimilia, facilis erit actio, & vice verſa. Hæc igitur eſt *actionum naturalium* (ſive *ſympathias* rerum ſpectes, ſive *Antipathias*) ratio, nexus, & norma, quæ tota, ab Analogiâ illâ in qua conſtituuntur res univerſæ, ita pendet, ut ſi conditiones (immediatum providentiæ Divinæ opus) adſint, in actum verè & realiter deducantur; quod non ſolùm in Analogia rerum inter ſe, ſed in noſtrâ æquè

conſtat:

conſtat: Quòd enim ex *ſenſibus externis*, *audiamus*, *videamus*, *tangamus*, &c. ab Analogiâ iſta & proportione rerum inter ſe, ortum ducit; quod *Bonum* denique vel *malum* ex *ſenſibus internis* videtur, ijſdem legibus adſtringitur, modò in animo habeamus ſemper, *ea omnia quorum cauſæ nos latent, ab occultis Dei judicijs temperari*, quam tanquam unicam notitiam communem, dubia ejus modi, quæcunque enodantem ubique proponimus: cujus uſum egregium idcirco, in ijs omnibus quæ te vexant, comperies, Lector; *juſtè enim & piè adminiſtrari omnia*, *utcunque eorum cauſæ clam nos ſint*, *ſolennis eſt notitia communis*: ultimò, ut quanti ſit uſus doctrina noſtra de *fundamentis relationum* conſtet, advertes Lector, in *ceremonijs*, *ineptijs*, *erroribus* & *figmentis* quibuſcunque, aliquas vel aliquam ſaltem ſubeſſe *notitiam communem*, unde tota ſuffulcitur moles, quam vel quas, extricare, ſeponere, & in ſeriem reliquarum notitiarum communium digerere, & antehac ſuaſimus & continenter ſuadebimus, ut habeas primò quod *ſcias*, deinde quod *credas*, Lector; Affatim enim omni ferè in doctrinâ, maxime verò in Theologiâ ſuppetunt objecta intellectus & fidei, adeo ut in utriuſq; exercitationem ſatis, (nedum ſuperq; aliquando) propoſitum ſit; Diſtinguitur autem *adquidditas* ſive *relatio*, à *quidditate*, quod ſit *poſterior Naturaſuâ*; quod *terminos extra ſe habeat*, & ſit *ad aliud*; à *qualitate* verò, qnod neque *intendi* poſſit, neque *remitti*; neque (ubi *realis* fuerit) *corrumpi*; A *quantitate* verò, *affectionibus ferè totis* diſtat. Facultates denique quę in iſta quæſtione reſpondent, ſunt *inſtinctus naturales*, *ſenſus interni*, & *diſcurſus*; nihil enim adjumenti (niſi quatenus ſunt in ordine ad ſuperiores) *ſenſus externi*, in quæſtione iſta, ſuppeditant; Quomodo verò *inſtinctus naturalis*, & *ſenſus internus*, circa *relationes reales*, *diſcurſus* circà *relationes attributionis*, & iſti omnes denique circa *mixtas* verſentur, ſuprà docuimus: ad complica-

tionem igitur hujus quæſtionis cum reliquis quæſtionibus accedimus, quam uti longe latiſsimam, ita maxime neceſſariam, inter queſtiones univerſas, apud te ſtatue Lector. Complicationes igitur primæ hujus quæſtionis ſunt, *ad-quid-an*, *ad-quid-quid*, *ad-quid-quale*, *ad-quid-quantum*, *ad-quid-ad-quid*, *ad-quid-quomodo*, *ad-quid-ubi*, *ad-quid-quando*, *ad-quid-undè*, *ad-quid-cujus gratia*.

Facultas *quæ movet quæſtionem* quomodo, per quod, *vel* quibus mediis.

Media, ſive *conditiones*, quæ ad *actiones* cujuſcunque generis perficiendas deſiderantur, exagitat facultas iſta; ſunt autem omninò diverſa juxta *objecti*, *facultatis* & *Analogiæ* differentiam: alia igitur exigunt *media*, quæ per *meatum viſus*; alia quæ per *meatum auditus*; alia quæ per *meatum olfactus*; alia denique quę per *meatus guſtus & tactus* traijciuntur; quædam deinde diverſa, ad conformationes *ſenſuum internorum* poſtulantur, quæ ad *externos* (propriè) non ſpectant; quædam denique ad *diſcurſus* conformationem, quæ ad *inſtinctum naturalem* non attinent, & vice versâ, ſupra & quidem abundè docuimus; in hoc igitur omne ſitum eſt opus, ſive Analogiam rerum ad nos, ſive Analogiam rerum inter ſe, reſpicias, ut *media* inveſtiges, quæ ſi dantur, nihil in ſe non mutuò *agere* poſſe exiſtima, Lector; quo pacto omnis ſcientię arcanum erit *mediorum* inveſtigatio; proinde leges & normæ actionum univerſæ, ex quæſtione iſtâ, eruendæ ſunt; quibus datis & licita illa à veteribus decantata magia inſurget; Hęc igitur potiſsimùm, in ſuas claſſes diſtinguenda ſunt, ut deinde ad mediorum complicationem devenias, & ſubinde in objectis complexis, (ſive *rerum*, ſive *verborum*, ſive *ſignorum*) an univerſa

univerſa acceſſerint media, expendas, *Media* enim *medijs* complicantur, & quod reſpectu hujus eſt *principium*, reſpectu illius eſſe *medium*, ubique comperies, cùm igitur alia *media*, in *objectis ſimplicibus*, alia in ijs, quæ commiſcentur, vel quidem complicantur, ſubeſſe conſtet, *Media* quibus objecta, ſive *ſimplicia*, ſive *compoſita* cum *facultatibus* ſuis Analogis conformantur, ut in promptu ſint, *quomodo*, in ſeipſis ita ſe habeant, nos ferè latent. Te igitur *incaleſcere*, ut ex igne vicino ſentias, quomodo ignis in ſeipſo ſit *calidus*, nunquam conijcies: ita de *colore*, *ſono*, &c. exiſtimandum eſt, (niſi notitia aliqua communis ſubſit) quia ſunt ex *Natura*; ſed in artificialibus aliter fit, quia ſunt ex mente noſtra: media igitur artis, dignoſci poſſunt, ita denique ſunt neceſſaria, ut ſine illis nulla artis inſtitui pòſſint præcognita; in *mediorum* igitur inveſtigatione, & pulcherrima, & difficillima, ſive *artem* intelligas ſive *Naturam*, ſita eſſe cogita: cùm tamen *diſcurſus*, per ſimilitudines ſuas, defectus, cujuſcunque generis, ſupplere conetur, extra limites elatus in *errorem* proclivis labitur; pauca enim ſunt, eaque obſcura, quæ in *naturalibus* deprehendimus; quippe pulſus, & arteriarum micantium motum & rationem, in ſeipſo, nemo mortalium vel cepit vel capiet unquam; cauſam *efficientem* & *formalem*, interea immo & *materialem* quatenus eſt cauſſa, in quæſtione *undè* exponemus; Hoc interea de *medijs* cape, ſcilicet in eorum defectum, omnem ignorantiam noſtram reijci debere: neque enim facultates, ad objecta quæcunque, neque quidem *fidem* ad eorum conformationem deeſſe poſſe, exiſtimandum eſt: quis enim, debita ſi *media* adſint, ſe objectum quodcunque percepturum (vel *Divinum* dicas vel *humanum*) inficias ibit? quod igitur non intelligas *veritatem* quamcunque, vel *fidem* ei non adhibeas, vel ex *mediorum* indigentia, vel ex *obſtructione*, ſive *medijs indebitis*, provenit; mens enim per ſe, & interminata

minata eſt, & ad ipſa αἰσθητὰ extenditur: Rectè igitur dicitur, ſenem ſi organa eadem, quibus in juventute uſus eſt, reſtituerentur, objecta quævis, eâdem facilitate quâ olim, percipere poſſe; Callus membranis oculorum, ſordes auribus (vel ſi quod aliud obſtaculum) tollantur, ſingula munere ſuo priſtino defungentur membra; neque enim ſeneſcit anima: Hæc autem breviter, de quæſtione *quo-modo*, ſive *medijs* rerum, dicta ſunto; A quæſtione iſtâ autem, reliquæ quęſtiones, tota ratione ita diſtinguuntur, ut pluribus non ſit opus: Quę autem facultates reſpondent, ſunt *inſtinctus naturalis* & *diſcurſus*, neque enim *ſenſus* vel *externi* vel *interni*, modum vel leges actionum, per ſe attingunt, in quibus, quæ *conſenſu univerſali* firmata (nullo ut rationis indicio conſtent) ad *inſtinctum naturalem* tanquam poſtliminio revocamus, reliqua *diſcurſui* permittentes. Complicationes autem primæ hujus quæſtionis ſunt. *Quomodo-an*, *quomodo-quid*, *quomodo-quale*, *quomodo-quantum*, *quomodo-ad quid*, *quomodo-quomodo*, *quomodo-ubi*, *quomodo-quando*, *quomodo-undè*, *quomodo-cujus gratia*.

Facvltas *quæ movet quæſtionem* vbi.

De *objectis* quatenus ſunt in *loco*, ſive extra locum in *ſpatio*, quęrit facultas iſta, quæ ſubinde in *ſitum*, (qui in quæſtione *quantum-ubi* reſpondet) terminata, univerſas rerum capacitates integrat; Diſtinguitur autem *ſitus* à *loco*, quod hic terminos *ambientes*, ille terminos *deſcribentes* objecti denotet; quod etſi ſubtile quiddam videatur, ad rem tamen imprimis facit; ita enim huic, ſua latitudo, illi ſua anguſtia obtingit; eſt autem *locus* omnis, quatenus ad objectum refertur, aptiſsima quędam circumſtantia, memoriæ imprimis familiaris; ideo per locos, ad reminiſcentiam

facillimus

facillimus datur tranſitus; differentiæ autem localis motus enumerantur, *ante, retro, ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, obliquè*, &c. quæ enim propriè ex ſententiâ noſtrâ, ad *ſitum* ſpectant, in principio libri, inter conditiones ad conformitatem objectorum cum facultatibus poſtulatas, poſuimus; ut facultates interea, quæ modo quodam univerſali, per maxima diſtantiarum intervalla, ſentiunt, & quidem præſentiunt, modò meatus non obſtruantur, (quia non ſunt hujus loci) mittamus, ad facultates accedimus, quę hac in quęſtione appoſitè reſpondent, ſunt autem *ſenſus externi*, & quidam *interni*: ex quibus *externi*, circa eorum *locum* quæ ſunt extra nos, *interni*, mediante *diſcurſu*, circa facultatum internarum ordinem, diſtributionem, & latitudinem verſantur; quod accurata illa obſervatio, quam in doctrinis noſtris poſcimus, ſatis indicat: Complicationes autem primæ hujus quæſtionis recenſentur, *ubi-an, ubi-quid, ubi-quale, ubi-quantum, ubi-ad quid, ubi-quomodo, ubi-ubi, ubi-quando, ubi-undè, ubi-cujus gratia*, quæ quidem, quia nihil abſque *loco*, neque fingere poſſumus, ubique occurrunt.

Facvltas *quæ movet quæſtionem* Qvando.

Svb quæſtione iſtâ, quærimus, de *objectis*, quatenus menſurantur à Tempore, ſive *præſente*, ſive *præterito*, ſive *futuro*; ſive, extra omne tempus, per *æternitatem* ſuam, deſcribantur: Huc igitur ſpectant momenta temporum; cùm interea communis ratio *temporis*, ex motu corporum cœleſtium, ritè deſumatur, ad immortalitatis ſpem, non parum juvamur, dum in corporibus illis Divinis, eandem conſtantiam & virtutem, nullâ ex parte imminutam, quam à præcedentibus accepimus ſæculis, obſervamus; eædem igitur

igitur herbæ, ijdem qui olim fructus, &c. iiſdem denique viribus pollent: neque igitur in nobis quod cœleſtis fuerit originis, eſſe poteſt morti obnoxium, ſuas ut abeant ſingula in partes: ad facultates quę reſpondent hac in quæſtione accedimus; quædam autem circa Tempus *præſens*, quędam circa tempus *præteritum*, quædam denique circa *futurum* tempus, verſantur: Cùm enim ſint omninò diſtincta *tempora* iſta, & diverſas denique conditiones ad eorum conformationem poſtulent, diverſis idcirco facultatibus reſpondent; ab *inſtanti* incipiemus, quæ autem circa *præſens*, vel *inſtans tempus* verſatur, eſt facultas aliqua Analoga particularis, neque enim è *motu* deſumi poſſe, exinde conſtat, quod poſterior ſit *motus*, ut qui habeat partes in quibus plurima inſtantia ſubſunt; quæ igitur circa *motum* verſatur facultas, nimis hæret, ita ut totum effluxerit neceſſe eſt, ex quo indicatur *inſtans*: habet igitur facultatem Analogam diſtinctam in nobis, quod ipſe *ſenſus* docet; aliter enim ſe non jam eſſe, ſed ſolummodo fuiſſe unuſquiſque ſentiret; licet interea *tempus* & *motus* inter ſe denuò conformari poſſint, omninò per ſe diſtinguuntur: quod ex eo patet, quòd non ſolùm *inſtans*, ſed ipſa etiam *æternitas* illa, quam nullus mortalium, *primo Enti* non tribuit, ex *motu* deſcribi nequeat; uti enim non pertingit *æternitatem*, *motus*, ita quidem in illo præterit *inſtans*. Alia datur etiam, circa *præterita* facultas, à priori prorſus diſtincta, quod diverſæ *conditiones*, & *ſenſus diverſus*, ſatis probant: quæ igitur circa *præterita* verſatur, facultas, (ut memoriam, ſive quidem reminiſcentiam mittam) fide quadam tacitâ reſpondet, quam tamen ita à credulitate diſtinguimus, ut licet hiſtoriam olim conſcriptam, inter *veriſimilia* relegemus, (uti quæ à narrantis auctoritate pendeat) *quædam ſacra* tamen in Auctoribus ocrurrere poſſe, quibus, nemo ferè adſenſum negaverit, pro confeſſo habemus; quo pacto tanquam inſtinctus

ctus naturalis, vel ſaltem Gratiæ opus genuinum, hujuſmodi omne agnoſcendum eſt; ſed quia obſcuri ſatis, ſunt iſtiuſmodi ſenſus, ſummâ attentione ad eorum diſtinctionem, opus fuerit: cùm maxima ex parte, qui ad Auctorum lectionem excitantur ſenſus, ſint notitiæ illæ communes, quæ nos eſſe *juſtos*, *temperantes*, *fortes*, *vindictam Divinam præcavere*, &c. monent, quod apertiùs docebitur, ubi de *veriſimili* erit ſermo; Nullane autem datur circa *futura* facultas, & tota erit de ſubſequentibus *conjectura*? anne improvidus ille, qui in præſentibus ita hæret corporeus ſenſus, ut ab illis ægrè divelli patiatur, ita totum occupatione peſſimâ habebit hominem, ut nullus Diviniori facultati futurum ſtatum prætentanti pateat exitus, niſi à *morbo*, *vino*, *dementiâ*, *enthuſiaſmo* referentur, & ſoli *futura æterna*, fruſtraneo, & inani conatu, conſectabimur? An verò *futuram* vitam non magis adſequitur, homo, quàm concluſus in utero, iſtam? utcumque certiſsimum eſt, non temerè inditas fuiſſe facultates iſtas, quas ſuum deſertura domicilium, ita mirè explicare ſolet anima noſtra, ut tanquam volatura, alas quatiat: ſi non igitur, hac in vita, ſaltem poſt illam, ſeſe exerturas facultates iſtas, par eſt credere, (cùm nefas ſit putare fruſtra à Natura dari) & nos *præterita* & *futura*, conſilio ſapientiſsimo perſpecta habituros exiſtimandum eſt; De modo illo univerſali, ex quo futura *ſentire*, imò & *præſentire* poſſumus, ſuprà dictum fuit; ad diſtributionem facultatum quæ in iſtâ quæſtione reſpondent, accedimus; *Senſum* autem illum *præcipitem*, qui totus ad *præſentia* componitur, inter corporeos, & ad *Belluinam Naturam* ſpectantes facultates, reijcimus, (ſua licet ipſi *menti* circa *præſentia* non deſit facultas) quæ enim facultates circa præterita & futura verſantur, altius quiddam ſpirant, & tanquam Diviniores habendæ ſunt: Eſt porrò in nobis *facultas æternitati reſpondens*, quæ medio notitiarum communium, in

unum & *præterita* & *præſentia*, & *futura* cogit; Complicationes autem primæ hujus quæſtionis, quę ubique ſe immiſcet, (*eſt* enim, *fuit*, vel *erit*, eſt veritatis cujuſcunque copula) ſunt, *quando-an*, *quando-quid*, *quando-quale*, *quando-quantum*, *quando-adquid*, *quando-quomodo*, *quando-ubi*, *quando-quando*, *quando-undè*, *quando-cujus gratia*.

Facultas *quæ movet quæſtionem* unde.

Qvæstione iſtâ, *cauſas* rerum indagamus, ſive *formales*, ſive *efficientes*, ſive *materiales* fuerint; *unde*, enim, hæc omnia ſonat; quo pacto quæſtiones, *à quo*, *è quo*, *ex quo*, *de quo*, & *propter quod*, huc reducuntur: Plurimæ igitur heic ſubſunt quæſtiones, quas tamen, compendij gratiâ, in unam contraximus, ita, ut univerſas de *cauſis* quæſtiones, præter quæſtionem *cujus gratia*, ſive *propter-quid*, complectatur quæſtio iſta; quo in argumento, notandum venit, quæſtionem iſtam, quatenus *efficientem* in ſe continet, à quæſtione *quomodo* diſtingui, quod hæc *efficientem ſimpliciter*, illa, *efficiendi modum*, exagitet; qua ratione, imprimis inter ſe diſtant, quod non advertit Schola, quę tamen *formalem* ab *efficiente* diſtinguere conatur, licet, ferè ubique eædem in *naturalibus* ſint; *cauſa* enim *formalis* ſi daretur, quæ non ageret, non jam cauſę *formalis*, ſed *principij* Naturam referre dicendum foret: *Cauſa* autem in univerſum id denotat, à qua, eſſe rei pendet, quo pacto, & quod latius quiddam & magis indeterminatum ſit *principium*, ab illo diſtinguitur: quæ igitur ſub quæſtione iſta deſignantur, jam vides Lector; ſi cui tamen, in plures ſecare partes lubeat quæſtionem iſtam, per me nihil vetabit, cùm in univerſis doctrinis, differentiarum inveſtigatio veritati ſternat viam; inter cunctas autem quæſtiones, non eſt

eſt quæ magis accuratam poſtulet diſquiſitionem; uti enim nihil fit ſine *Cauſa*, ita nihil ſine illâ perfectè cognoſcitur; ideò in rerum reſolutione ultimâ, ad *primam* aliquam *Cauſam* deveniendum eſt, quæ ſi *ſenſus corporeos* lateat, cum & *anima* ſeipſam quodammodò lateat, haud equidem mirum eſt; ſatis eſt, *intellectui* patere, & nullo non ex objecto conſtare poſſe; Sequitur diviſio *Cauſarum*, in *cauſam* & *concauſam*, in *cauſam per ſe*, & *cauſam per accidens*, in *ſolitariam* & *complexam*, in *communem* & *propriam*, in *magis* & *minùs principalem*, in *remotam*, *propinquam*, & *proximam*, in quarum diſtributione ſatis ſuperque ab Auctoribus ſudatum eſt; quos conſule ea lege, ut cùm, ad *medias cauſas* deventum fuerit, illas ſcilicet, quæ inter primam & ultimam intercedunt, id ſemper in animo habeas, ex quâ facultate probant, quia præpedita & quidem ardua valde eſt catenæ illius *cauſarum* inveſtigatio; denique ubi plures ſubeſſe poſſunt *cauſæ*, ut cautè pronuncies: Exempli gratia, durus lapis ex *calore*, ex *ſiccitate*, ex *frigore*, ex *ſale*, &c. reddi poteſt; temerè igitur in unam aliquam *cauſam* impingetur; vulgus tamen in hâc, vel illâ hæret, cùm enim *notitia* ſit *communis*, unam omnium eſſe *Cauſam*, à *diſcurſu*, *notitia iſta communis*, in particularia ita deducitur, ut non niſi unam uniuſcujuſque objecti, ut plurimum ſtatuat; ſed de hijs libro noſtro de errorum Cauſſis, (juvante Deo) inſtituetur ſermo, ubi non ſolùm in omni falſo, veritatem aliquam ſubeſſe, demonſtrabitur, ſed media etiam dabuntur, quibus illam eruere poſſis; in *miſtis* igitur *miſtas* ponere *cauſas*, nihil vetat, quoniam à ſimplicitate formæ illius internæ, quæ iſta omnia in ſe coëgit, minimè adimitur: cùm enim *forma*, ſive *anima* uniuſcujuſque agentis naturalis, ſive viventis id ſit, *quod habet ſcientiam ſuæ ſpeciei*, potens erit ſub quibuſdam conditionibus, ſignare materiam, & per vim ſuam plaſticam, ſeipſam educere, & ad

facultates denique noſtras explicare; *materia* interim, optimè per ſuſceptibilitatem ſuam formarum deſcribitur, neque enim aliter indigitari poſſe exiſtimandum eſt; Facultates denique quæ hac in quæſtione egregiè reſpondent, ſunt *inſtinctus naturalis & diſcurſus*; plurimę igitur circa *cauſas notitiæ communes*, quas *diſcurſus* mirè exaſciat, deducit, dedolat, nullibi ferè ſuas non ſupponens *cauſas*, nullibi ferè non imponens, denique *diſcurſus* à *cauſa* ad *cauſam* regrediens, nullibi ſiſteret, niſi *inſtinctus* aliquam primam doceret *cauſam*; Hæc igitur imprimis diſtinguenda ſunt, ut quæ ab *inſtinctu naturali* notitiæ, quę etiam à *diſcurſu* ortum ducunt, ſuo reponantur loco, & nulla facultas ultra ſuam provinciam ſapiat, quo pacto omnis errori præcludetur via; Complicationes primę hujus quæſtionis ſunt, *unde-an*, *unde-quid*, *unde-quale*, *unde-quantum*, *unde-adquid*, *unde-quomodo*, *unde-ubi*, *unde-quando*, *unde-unde*, *unde-cujus gratiâ*.

FACVLTAS *quæ movet quæſtionem* CVIVS GRATIA.

QVAESTIONE iſta, cujus ſynonima ſunt, *quare*, *quapropter*, *cur*, *quamobrem*, vel *propter quid*, objectorum cauſſam finalem inveſtigamus. *Cauſſa* autem *finalis* ea dicitur *cujus gratiâ*, *aliquid eſt*; Cùm autem omne *agens naturale*, propter *finem* agere, (qualiſcunque tandem ille fuerit) *communis ſit notitia*; *finis* ille (quatenus licet) in rerum ſcrutinio, primo explorandus eſt; omnia enim à *fine* quodammodo pendent; ideoque an ſit aliquis *finis* per *accidens*, *intermedius* vel *ſubordinatus*, loco veri *finis*, ſubſtitutus, accuratè diſquirendum eſt; diſtribuuntur autem *fines*, in *finem per ſe*, & *finem per accidens*, in magis & minùs *principalem*, in *communem* & *proprium*, in *proximum*, *medium*,

medium, & *remotum*, *ulteriorem* & *ultimum*; in quibus obſervatu dignum eſt, *finem per ſe*, non tollere *finem per accidens*, neque *magis principalem*, *minùs principalem*, neque *ultimum*, *intermedium*, neque *proprium*, *communem*, vel *vice verſa*, niſi ubi *ſubordinati* fuerint: Quemadmodum igitur *cauſſarum*, ita *finium* ſeries quædam datur, & ordo; & uti *cauſſæ cauſsis*, ita *fines finibus* terminantur; licet interea, præter *finem proximum* & *ultimum*, pauca de rerum *finibus*, conſtent, eaque in Analogiâ propria (extra illam enim ſapere non datur, niſi ultra facultates ſapere lubeat) ſobriè, de rerum cauſſa finali ſtatuendum, niſi communis aliqua ſubſit notitia; ideo ſive *plantas*, ſive *animalia*, &c. ſpectes, attentè & cautè admodum de fine propter quem in hanc lucem prodiere, pronunciandum, tali licet in Analogia erga nos, ſint conſtituta; *ultimum* interea rerum finem, illum vocamus, *cujus gratiâ intermedij ſunt*, qui enim propter *aliud* eſt, *ultimus* eſſe non poteſt; Hunc igitur imprimis ſuſpiciendum volumus; Cùm autem *communis rerum finis*, ſit *Beatitudo æterna*, ut quæ ſit *optimus propriæ conſervationis ſtatus*, nihil non in *Beatitudinem* illam *æternam*, pro viribus ſuis contendit, quæ niſi in *Deum* caderet, quidni ulteriùs ferantur? Omnia igitur *Deum*, *Beatitudinem* ſcilicet *æternam*, quodammodo adoriuntur, quod ut clariùs conſtet, *attributum Dei* quod maxime receptum, & ex *conſenſu univerſali* ſancitum, *Beatitudo* eſt; qui enim *providentiam Dei particularem* è medio tollere conati ſunt, in eâ ſtetêre ſententiâ, ut *Deum* omni moleſtia liberarent, & *Beatum* agnoſcerent; ſub hoc denique nomine, ab infantibus cognoſcitur, imo & appetitur *Deus*, quo pacto, ab *obſcuritate* illa, imo & *diſtantia*, in qua latere videbatur, aſſeritur Deus; Facultates denique quæ in hac quæſtione reſpondent, ſunt *inſtinctus naturalis* & *diſcurſus*, illæ ipſæ nimirum, quæ in quæſtione præcedente verſantur, maximè

ijdem cùm ſit, & prima cauſſa rerum, & finis ultimus. Complicationes primæ denique hujus quęſtionis ſunt, *cujus gratia-an*, *cujus gratia-quid*, *cujus gratia-quale*, *cujus gratia-quantum*, *cujus gratia-ad quid*, *cujus gratia-quomodo*, *cujus gratia-ubi*, *cujus gratia-quando*, *cujus gratia-unde*, *cujus gratia-cujus gratia.*

SEQVVNTVR *Conſcientiæ* quæſtiones, *an ita eſſe debeat* illud de quo agitur, deinde *quid eſſe debeat*, &c. donec poſt examen debitum foro interiori factum ſit ſatis; Huc igitur reducenda, quę ad noſtras ſpectant partes, ſive ea quæ in foro interiori exagitantur; in naturalibus enim, ſive in ijs quæ ſunt extra noſtram provinciam, nimis eſt procax & petulca quæſtio iſta, de quibus fuſiùs, libro noſtro, de *Conſcientia*, erit ſermo.

Hijs denique, (ne fucum deſideres) addi poſſent *cognata*, *ſimilia*, *diverſa*, *diſparata*, &c. ſed quia ex ſuperioribus quæſtionibus ritè complicatis, quæcunque ad veritatem poſtulantur, erui poſſunt, cautè iſtis utendum: cùm enim *ſimilitudo* non minùs erroris, quàm *differentia* veritatis ſit anſa, ſimilitudines & ſpecioſas illas ęquiparationes, tanquam præſtigias, & falſariorum artes, à veritatibus noſtris, longè ablegamus.

RESTAT ut de *complicationibus* ac denique de uſu noſtrorum *Zeteticorum*, quædam ſubjungamus; circa *complicationes* autem, non eſt quod prolixiores ſimus, quia unuſquiſque è prioribus quæſtionibus, rationes poſteriorum uſque ad tertiam & quartam *conjugationem*, (quas æquè utiles comperiet) facillimè eruere poſsit; in quibus inſiſtendum, ubi accurata rei notitia proponitur; Haſce igitur

igitur *alternatim* copula, ut tandem de omni *objecto* ſive *incomplexo*, ſive *complexo*, quæcunque ſciri poſsint explorata habeas; neque obſtat, quod Barbarè ſonent *complicationes* iſtæ, cùm neque *verba rebus*, neque *res verbis* ubique reſpondeant, ſed aliquando *ſupervacanea*, aliquando etiam *nulla* exiſtant; ſatis habes, ſi exinde ad proprias regredi facultates, & univerſas in examen revocare doctrinas, poſsis. Neque enim ultra quęſtiones iſtas, modò complicentur juxta methodum noſtram vel cogitari datur; Neque aliæ demùm quæ reſpondeant, ſubſunt facultates; Neque aliâ lege demùm inter ſe conformantur: Vniverſæ igitur rerum conformitates, ex iſtis deſumendæ ſunt; qui enim eis quæſtiones noſtras ſiſtit, (in objecto quocunque) rem non pertingit, ultra illas autem, neque fingi poteſt; quod unicè interea agendum reſtat, eſt, ut *differentiarum* enumerationem & diſpoſitionem aptam apud te ſtatuas: ex quibus & *quæſtionibus* noſtris nihil non perficies: exempli gratia, cogita *objectum* quodvis ſive *ſimplex* ſive *complexum*, facultates Analogas adhibe, ut quæras *an ſit*, demùm *quid ſit*, poſtea etiam quæſtiones noſtras complica, & nihil pręterea ſupereſſe comperies: Cùm denuò propoſitioni alicui, novum aliquod prædicatum adtexere placuerit, ijſdem gradibus inſiſte, ſcilicet quærens *an ſit*, *quid ſit*, &c. quæ denique facultates in hijs omnibus reſpondeant, adverte, ut tandem etiam in ſententiam venias: Admiratione dignum interea oſcitantibus videri poteſt, univerſa Authorum dogmata, complicationes quaſdam eſſe differentiarum (nempe illarum quibus facultates in nobis reſpondent) per *quæſtiones noſtras*, & copulam *eſt* (*non eſt* enim ad *eſt* reduci poteſt) neque ulteriùs ferri poſſe, quod qui expertus fuerit, (etiamſi operoſum alicubi eſſe poſsit,) nos integram doctrinæ Methodum tradidiſſe comperiet; Dùm igitur Authores evolvimus, in id incumbendum eſt, ut propoſitiones

nes ſingulas, juxta quæſtiones in qua prædicantur, expendamus, ut denuò facultates reſpondentes (ſive in claſſe *inſtinctus naturalis*, *ſenſus interni*, *ſenſus externi*, ſive *diſcurſus* reponantur) & conditiones denique conformitatum, exploratas habeamus; Authores interea vices objectorum ſupplere, cogita, dum notitias communes excitant, quod ipſe ſenſus, ſi expendis, docet; eouſque igitur juvat Authorum lectio, maximè verò eorum qui circa *cauſſas* rerum & *fines* verſantur; *undè* enim res ſint, & *cujus gratia* diſquirere, ita nobis à Natura inſitum, ut in quæſtionibus iſtis *inſtinctus naturalis*, quemadmodum ſuprà docuimus, imprimis reſpondeat; neque igitur ut Philoſophias mittam, *religio*, vel *lex* juſta, à *Sacerdote* vel *Magiſtratu* jubetur, ſed à *Conſcientia*, neque magis ille, quàm ipſa, ſibi ipſi imperat, Prævaricatores interea utriuſque ut dentur, hoc ipſum à *Conſcientia* non habent, licet facultas *conſciens*, (veluti omnis præterea facultas,) hoc decreto alligetur, ut *oppilari ad tempus*, abſque objecto ſuo debito denique *ſilere* poſſit; univerſæ igitur veritates, ab objectorum perceptione debitâ pendent; quæ enim obſtruitur facultas, objectum ſuum non pertingit, quô modô opiniones falſas preconceptas, totum veritatis ſyſtema peſſundare, principio libri, docuimus: quando igitur aliquem erroris redarguis, tota opinio convellenda non eſt: aliqua enim in omni ferè errore ſubeſt veritas; hæc igitur primò extricanda, & eouſque vos convenire aſſerendum eſt: poſtea per quæſtiones noſtras & facultates proprias, quomodo error irrepſerit, demonſtrandum eſt: quo pacto & pertinaciam illam, quæ (in iis qui mordicùs ſuas tuentur opiniones) inveniri ſolet, declinabis, & ad veritates reliquas ſternes viam: quando igitur ex obiectis, ſive *rerum*, ſive *verborum*, ſive *ſignorum* facultates excitantur, magnum in veritate progreſſum facies, ſi diverſitatem ſenſuum ſive affectuum, in teipſo expendens

pendens quod novum eſt, ubique novâ notâ in memoria ſignas; omnes enim facultatum operationes ex *ſenſu interno*, æſtimantur; Neque enim aliter *intellectum* à *voluntate*, *amorem* ab *odio*, &c. diſtinguere vales; *ſenſu* autem illo *interno* ſi rectè uſus fueris, quot ſunt rerum *differentiæ quidditativæ*, tot facultates internas in te comperies, quemadmodum in principio libri docuimus; Hijſce igitur ſua adaptabis nomina, ut tandem & *facultatum* & *objectorum* numerus conſtet; quæſtionum enim quæ de illis ſciſcitari poſſumus, methodum facillimam, heic exhibuimus Lector, quorum rationem tamen (prout à nobis exhibetur) haud ita ſervare neceſſum fuerit, ut ubique à ſerie noſtra incipiendum ſit; in aliquibus enim objectis poſt quæſtionem *an*, & *quid*, quæſtiones *ubi*, *quando*, *undè*, &c. exagitari debent, Porrò in plurimis, quæſtiones noſtræ *complexæ* & *complicatæ* ante *ſimplices*, & *incomplexas*, in examen veniunt: Vſus denique quæſtionum noſtrarum eſt,ut earum ope, homo quicunque ſive doctus,ſive indoctus, ſive Græcus, ſive Barbarus, ex puris naturalibus, & experientia, doctrinam certiſsimam conficere poſsit, ſecundùm *definitiones*, *diviſiones* & *concluſiones* quaſcunque, abſque ullius præceptoris adminiculo, quid *verum*, quid *veriſimile*,quid *poſsibile*, quid *falſum*, indubiè, ex facultatibus proprijs adſtruens, primum certitudinis locum, *notitijs communibus*, medium *ſenſibus internis* & *externis*, ultimum denique *diſcurſui* tribuens; aliorum ſcripta ad normam iſtorum, vel approbans, vel quidem reprobans & damnans; quæcunque enim ex facultatibus ſciri poſſunt, heic docentur; extra illas autem, neque fidus conjecturæ locus; deſinant igitur deinceps imponere Authores, cujuſcunque tandem claſsis fuerint; cùm enim, circa eadem verſemur objecta, cur hic illo ſolertior evaderet? ſobriè interea ſapiendum & potiùs intra facultates quàm extra; Neque igitur calami-

toſo juveni, à præceptore tetrico miſerè diſtorto, probroſum videatur, ſi ſubtilitates & ineptias Scholarum ſe minimè adſequi occlamitet, ea lege, ut res ita eſſe non poſſe minimè diffiteatur; neque enim facultates quæ res ita eſſe probant, res aliter eſſe non poſſe, probabunt, niſi, id quod dicitur, cum aliqua notitia communi ex diametro, pugnet; Brevi, in id redeat omnis Scholarum diſputatio, ut conſtet, ex qua facultate probant, ſuas quas aſſerunt ſententias, qua in re ſummoperè curandum, uti ſæpè monuimus, ne ex *diſcurſu* probent ea, quæ ſunt objecta *ſenſuum externorum & internorum*, vel vice verſa: Neque denique *notitiarum communium* fidem convellant, ſed unicuique facultati, ita ſuos tribuant cancellos & metas, ut errori prçcludatur via: ne quid interea deſit, Methodum quandam ſtudendi, ex ipſis vocabularijs exhibemus, in quibus non ſolùm nomina ad *differentias rerum incomplexas*, ſatis accommodata, ſed earum etiam complicationes quaſdam in unum aliquod vocabulum contractas, deprehendes. Hæc igitur utcunque exagita, de verbo unoquoque quærens, primò, *an ſit*, *quid ſit*, *quale ſit*, *quantum ſit*, *ad quid ſit*, &c. deinde cui facultati reſpondeat, denique quibus legibus conformetur, quo pacto non ſolùm rerum eſſentias, ſed earum relationes diverſas per univerſum vocabularium diſſeminatas, in ordinem coges; quo in ſcrutinio, ſimul cum facultatibus proprijs, Auctores qui ſaniores ex communi ſententia ſunt habiti, in ſubſidium voces; Hçc igitur facillima habeatur ſtudendi methodus; neque erit, quod te moretur, ſi ea quæ de differentiarum, ſpecierum, & generum inveſtigatione in ſectione noſtra de quæſtione *quid* adduximus, probè intelligas: Tua ſolummodò intereſt igitur, ut Grammaticam diſcas, cui & Logicam adijcere potes, quam tanquam utiliſsimum inventum, tibi commendatam volumus; modò nævos & errores illos, quos paſsim hoc in libro perſtrinximus,

mus, animadvertas; Quin & Prędicamentorum nomina, (modò ex ijs quæ ſuprà adduximus, explicentur) retinere licet; ſub finem Zeteticorum noſtrorum jam ſupereſt, ut *numerum propoſitionum*, quæ de re quacunque prædicari poſſunt, (ſive *veræ* fuerint, ſive *falſæ*) doceamus; multiplica *primum* verbum per *ſecundum*, & per *productum* multiplica *tertium*, per cujus productum denique, *quartum*, multiplicandum eſt, atque ita pari lege uſque ad calcem libri, ſynonimis ſolummodo demptis, in cujus locum, *modi*, *declinationes verborum*, &c. quæ ad Grammaticam ſpectant, ſubſtituantur; quâ ratione in poſtremo, omnis *compoſitionis* numerus inſurget: quod quidem hoc in loco adnotare placuit, ut, & *veri* & *falſi*, terminos dari poſſe ſcias, cùm aliter inventum ſit omninò inutile: jam autem Lector habes Zetetica noſtra, in quibus non ſatis fuerit, quęſtiones & nuda verba tenere, niſi quæſtionum illarum *explicationes*, immò & *complicationes*, juxta methodum noſtram, animo infigas; quod quidem eò difficiliùs comperies, quòd voces noſtræ in alienum ſenſum ab Authoribus torqueantur; hoc igitur imprimis adverte, ut tandem in Anatomen & diſſectionem opinionum vulgarium, devenias; propoſitiones enim dividit, & fruſtulatim exhibet methodus noſtra; Plurima denique de Prædicamentorum vulgarium Anguſtia, iniquâ diſtributione, diviſione, confuſione dici poſſunt; quia tamen ex profeſſo, contra Authores ſcribere noſtri non eſt inſtituti, quia denique ex eorum collatione cum noſtris, (quibus utinam ſatis Latina extarent nomina) iſta facillimè deprehendi poſſunt; ideò manum è tabula. Ne quid interea in doctrinâ noſtrâ ingenuus Lector deſideret, definitionem aliquam *veritatis*, (ſcilicet noſtræ) ex methodo ſuprà allata, aggrediemur.

Quæſtiones.	DEFINITIO VERITATIS.	Probationes.
In quæſt. an ſit.	Veritas eſt.	*Probat. notitia communis.*
In quæſt. quid.	Conformitas quædam conditionalis.	*Probat. notitia communis.*
In quæſt. quale.	Conditiones obtinens, quæ ut ſemper & neceſſariò poſtulentur, non tamen ſemper & neceſſariò adſunt.	*Prob. communis notitia & diſcurſus.*
In quæſt. quantum & ad quid.	Ad menſuram rerum, modò conditiones adſint, extenſibilis.	*Probat notitia communis & diſcurſus.*
In quæſt. ad quid.	Inter objectum quodvis apparentiam, conceptum, & intellectum.	*Probat. notitia communis & ſenſus.*
In quæſt. quomodo.	Medio conditionum, quæ ad veritatem objecti cujuſvis, apparentiæ, conceptus, & intellectus deſiderantur.	*Probat. notitia communis & diſcurſus.*
In quæſt. quando.	Quando objecta per conditiones iſtas, cum facultatibus cognatis conformantur.	*Probat. ſenſus.*
In quæſt. ubi.	In ipſo debito conformationis puncto ſita.	*Probat. notitia communis & ſenſus.*
In quæſt. undè.	A cauſa aliqua primaria Analogiam rerum diſponente, proveniens. (&)	*Probat. notitia communis.*
In quæſt. cujus gratia.	Ad perfectionem hominis pro cauſa ſua finali, facit.	*Probat. notitia communis.*

Habet contrarium privativum, *ignorantiam*, poſitivum *errorem*.

RESTAT

RESTAT ut ex quæſtionibus noſtris, & *ſimplicibus*, & uſque ad *tertiam* aut *quartam* conjugationem alternatim complicatis, expendas, quid ſit illa *conformitas*, quænam ſint illæ *conditiones*, deindè *quales* ſint, & *quantæ*, &c. Denique *facultates reſpondentes* adhibendę ſunt, ut tandem etiam in ſententiam venias; quo pacto veritatis ſyſtema pulcherrimum ſuis numeris abſolutum inſurget: Quàm jejunę igitur, & imperfectæ ſint vulgatæ Scholarum definitiones, quæ ex genere aliquo ſubalterno, & differentiâ quâdam ſolummodò conſtituuntur: quàm procaciter etiam veritates ſuas obtruſerunt Auctores, cùm nullam veritatis definitionem præmisêre, jam vides Lector: Attamen eorum nullus non veritatem puram putam, ſe tradere exiſtimat; imò & ſibi uni credi poſtulat; ſed quam rectè ex noſtris patet, ex quibus niſi vera illa ars *apodeictica*, huc uſque ignota, confecta ſit; neque confici poſſe, contendam: Plurima intereà iſtis adijci poſſunt, quod Scholarum ſit opus; ſatis enim fuerit, hoc in opere veritatis jeciſſe fundamenta, quod qui ambigunt, videant Auctorum definitiones, cujuſmodi ſunt, *veritas eſt conformitas cum mente Divina*, *veritas eſt forma verorum*, *veritas eſt proprietas uniuſcujuſque rei, quod ſtabilitum eſt ei*, &c. fruſtella definitionum & ramenta, quæ piget referre, videant, inquam, an vel definierint veritatem, vel ita diſtinxerint, ut ad molem librorum ſuorum ſuſtinendam ſufficiat.

FVERVNT facultates, objecta, & conditiones denique, quibus inter ſe conformantur; methodus jam & ordo concinnus, inſtituenda ſupereſt, ut tota ſeries conſtet; quia autem prima ultimis niſi per media, connecti nequeunt,

queunt, facultatum autem prima, in omni homine (immo & in univerſo) ſit *inſtinctus ille naturalis*, qui circa *propriam conſervationem uniuſcujuſque individui, ſpeciei, & generis* verſatur; objectorum autem ultimum, ſit *Beatitudo illa æterna*, cujus gratia, cætera quæcunque bona expetuntur, (reliquis facultatibus & objectis intercedentibus) Beatitudinis iſtius conformationem (quatenus ſcilicet ex veritatibus Naturæ, ſive providentiæ Divinæ univerſalis elici poteſt) unicâ tantùm propoſitione complectemur. *Totis facultatibus intermedijs ritè conformatis, ipſa conformatur Beatitudo æterna.* Quænam ſint facultates illæ intermediæ, quâ lege denique cum objectis ſuis, ſive proprijs, ſive communibus in nobis conformentur, abundè dictum eſt ſuprà. Iam autem habes Lector veritatis ſyſtema pulcherrimum, è ſapientia, ſive providentia rerum communi deſumptum; cujus ad amuſsim ſententia Divina explicanda venit, quæ *totam animam*, id eſt, *totam notitiarum communium ſeriem*, probè diſpoſitam; *totum cor*, i. e. *totos ſenſus noëticos & Divinos internos*; totas *vires*, id eſt, totos *affectus corporeos* cultui Divino vindicat. Heic igitur rigidiſsimo cuivis ſatis aſpera exhibetur doctrina; neque enim ſatis fuerit, præcocem quandam fidem, ſive credulitatem obtendiſſe; neque demùm ex una quâvis facultâte, Beatitudinem ambijſſe; totæ conſpirent, concurrant, oportet; neque igitur petulca vel mollis eſt notitiarum communium doctrina, ſed gravis & ſeria, talis nimirum ut totum poſtulaverit hominem. Hujus ad normam demùm intelligendum, quod omnium ore teritur, nempe, *non eſſe niſi unam veritatem*, cùm enim facultatum intermediarum debitâ conformatione, prima ultimis conjungantur, in unicam veritatem ſive conformitatem fit reditus; Ne quid interea iſto argumento deſideret Lector, operæ pretium duximus, hoc in loco, paucis ſubjungere, cur à veteri Scholâ, doctrina illa de *Beatitudine*

æterna verbis diſertis, omiſſa videatur; nos quidem, re ipsâ, non omitti contendimus; ſi enim *ſummum Bonum eſt*, quod ab omnibus expetitur, eodem, cum *Beatitudine æterna*, recidit; nihil enim intereſt, ſi explicationem advertas; quod namque *æternum* non eſt, *ſummum* eſſe nequit, neque *eminenter Bonum*, quod non *Beatum* omni ex parte, efficit; idem igitur fuerit *ſummum Bonum* & *Beatitudo æterna*. Miſerè interea à definitione ſua defecit, dum vel in *honore*, *divitijs*, *voluptate corporea*, &c. (quorum 288. recenſentur opiniones) ex quibus nulla *ſumma*, quædam neque *Bona*, *ſummum illud* poſuit *Bonum*. Cur interim *Beatitudinem illam æternam* (quod in hac uita eſſe nequit) apertè non explicabant veteris Scholę tenebriones, rationes iſtæ reddi poſſunt. 1. quod intra hujus vitæ commoda ſtantes, de futuris parum ſolliciti, non adverterant ſe *æternum* aliquid expetiſſe; neque enim in promptu fuit, *æternum* eſſe, quod *ſummum* cupiebant. 2. quod leges, quibus facultates cum objectis cognatis proprijs conformantur, (i. e. *veritatem*) ſive evertentibus, ſive non ſatis explorantibus, ſpes illa *Beatitudinis æternæ* in interno foro interdicta fuit, inter quos tamen vox communis obtinuit, *neminem ante obitum Beatum*; ut nunquam ſatis mirari poſsimus, fœlicitatem illam æternam, in requie quâdam à laboribus, adeò frigidè ponere voluiſſe; magno igitur bono, concionatores celeberrimi audiuntur, dum vera facultatum objecta proponentes, cœtum frequentem ad melioris vitæ ſpem componunt, facultates quæ aliquando ſilent, expergiſcentes; Atque ita ad revelationem mox acceſſurus, (ut te aliquô ſaltem onere, in præpoſitâ inveſtigatione ſublevarem) notitias communes ſolenniores circa religionem præmittendas curavi.

Notitiæ

Notitiæ communes circa Religionem.

De *Revelatione*, ſermonem illicò habituri, quædam tanquam ipſius *Revelationis* præcognita, exaranda duximus; neque enim omnis *Revelationem* oſtentans *Religio*, bona, neque demum quæ ejus auſpicijs prodit, vel *neceſſaria* quęvis vel quidem *utilis* doctrina. Quædam expungi, exſcindi poſſunt, quædam debent: cui uſui *notitiarum communium* doctrina, adeò inſervit, ut citra earum opem, nullus cōmodè inſtitui poſsit *Revelationis*, vel ipſius quidem *Religionis*, delectus. Quę enim de implicitâ fide, non ſolū orbe noſtro, ſed etiam inter remotiſsimas gentes vulgo jactantur, minùs ad rem faciunt; Hujuſmodi autē ſunt, *rationem humanam* exauctorandā, *fidem* ſubſtituendam eſſe; Penes *Eccleſiam* ſuam (quę errare non poteſt) jus Divini cultus extare, cujus judicio idcircò in omnibus inſiſtendum; Neminem ita proprijs viribus confidere debere, ut ſacroſanctam Antiſtitum, Verbique cœleſtis Præconum poteſtatem, in examen revocare ſuſtinuerit? Eorum quæ prædicantur (tametſi captum humanum ſuperent) veras adeò ſubeſſe cauſſas, ut non tam ventilanda, quàm reponenda fuerint; Deum iſta immo & majora poſſe: Hæc omnia, inquam, & iſtius farinæ Argumenta, (pro ſæculi & regionis diverſitate) tam falſam quàm veram adſtruere ſolent Relligionem: Quęlibet ex παμφόρῳ iſto, ne dicam πεμφόρῳ vernabit ſemine, quælibet ſpicabit *fides*. Quis enim gregi ſuo immundo non iſta ſuggerat ſolennis impoſtor? Quæ non hoc pacto barbara aſſeratur θρησκεία? Quodnam ullo ævo abrogabitur commentum, præſertim ubi placita ſua cœlitùs tradita aſſeveraverint Nomothetæ vaferrimi, quibus falſa veris admiſcere, vera falſis diluere, in more fuit; Proinde, niſi ex notitijs communibus,

bus, veritati ſternatur via, & ſua unicuique articulo tribuatur dignatio, quidni vel ineptiſsima quævis obtinuerit ſententia? Certè utcunque nugentur, qui ex ambiguis Leſbijſque credulitatis regulis, doctrinas ſuas ſtabilire conantur, perinde faciunt ac illi, qui ut oculos viatoris minori moleſtia eruerent ſemetipſos duces in ſtadio (quod conficere oportet) mira benignitate pollicentur: Cæterum aliter ſe res habet; Neque enim ex alienâ, ſed propriâ uniuſcujuſque fide rationem factorum ſuorum exiget ſupremâ die Iudex; Quapropter ex ſapientia univerſali præcognita Relligionis ſancienda ſunt, ut quicquid deinde ex vero fidei dictamine adjectum fuerit, tanquam ſuperliminare & faſtigiatum aliquid, ſubſtructione iſtâ fulciatur; Ex quibus patet, haud ita temerè Relligionem quamlibet recipiendam eſſe, adeoque ea primò exquirenda eſſe, undè ſuus illi conſtiterit Honos, quæ omnia notitiis communibus inniti comperies Lector. Quis enim (obſecro) magnam illam librorum ſtruem, tanto verborum apparatu & pompa exaggeratam evolvens, ſeculorum quorundam figmenta & impoſturas non rideret, niſi *vitæ ſanctitatem* quocunque modo præ ſe ferret? Quis demum perſonato illi *Eccleſiæ* nomini, tot ritibus, ceremonijs, ineptijs ludenti, tot diverſis denique mundi plagis, ſub vexillis diverſis militanti, ſe totum ad *fidem uſque implicitam traderet*, niſi *cultus* Dei, *pietas*, *reſipiſcentia*, *præmium* & *pœna*, ipſâ conſcientia atteſtante indicerentur? Quis denique ipſi *Prophetæ*, viva voce prædicanti, fidem adhiberet, niſi *Supremo Numini*, quæcunque dixerit ſive fecerit, acceptum referret; Nimius eſſem, ſi ſingula recenſerem; ſatis habeamus iſtorum nihil, citra *communes notitias*, conſtare poſſe, quas adeò magni facimus, ut qui proximè ad earum obſervantiam acceſſerit, optimum *librum*, *Religionem*, *Prophetam*, dixerim, quarum ſeriem; quatenus nimirum ad *curſum Theologicum*

gicum ſpectat, in medium allâturis, ſatis fuerit indicaſſe ab omni homine ſano & integro receptas eſſe, vel fuiſſe; nulla enim præterea explicatione indigebunt; primò igitur, doctrina *notitiarum communium*, ſive *Eccleſia* verè *Catholica*, quæ neque deficit, neque deficiet unquam, illa demùm in quâ ſolâ, *providentia Divina univerſalis* triumphat, agnoſcit.

ESSE SUPREMUM ALIQUOD NUMEN.

DE *Dijs* non conventum eſt, ſed de *Deo*; Supremum aliquod in *Deorum* claſſe, nulla non profeſſa eſt *Religio*, nulla non profitebitur: Ideò Attributum *Dei* inter Romanos olim Opt. Max. inter Græcos ὕπατος, αὐθιγενὴς, ἀρχὴ πάντων, πάντων τελευτή. & ſexcenta ejuſmodi inveniuntur: Porrò inter Indos ejuſmodi quædam obtinent nomina; Quod igitur de *Supremo Numine* (quocunque tandem vocabulo inſigniatur,) ubique receptum eſt, *Deum* vocamus, cujus attributa eâdem methodo inveſtigaturi, primo loco *Beatum* eſſe deprehendimus. 2. Eſſe rerum *finem*. 3. Eſſe rerum *cauſſam*, ſaltem quatenus bonæ ſunt; undè ſequitur (nempe ex providentia ſua.) 4. Eſſe rerum *medium*, quomodo enim à *principio* ad *finem*, niſi per *media* fieret tranſitus? neque obſtat è palliatorum grege, quoſdam aliquam Providentiæ ſpeciem è medio tollere voluiſſe, cùm enim res ex votis ſuis cedere niſi perrarò, adverterent; *Providentiam particularem* elevare pro viribus conati ſunt, quaſi res non pro arbitrio Divino, ſed uniuſcujuſque proprio ſtarent; ſi tamen ita intelligendi ſunt hujus claſsis Auctores, qui de medio operante Providentiæ Divinæ, potiùs quàm de ipsâ Providentiâ, ex ſententiâ noſtrâ tergiverſantur; utcunque de *Providentia univerſali*, ſive rerum Naturâ ſummus datur conſenſus;

ſenſus; ſed cùm orari imò & exorari poſſe Numen illud, omnis moneat Religio; & *Providentia particularis* ſtatuenda eſt, quod ut cætera mittam argumenta, in ſummis rerum anguſtijs, ſenſus auxilij Divini paſsim docet. 5. Eſſe *æternum*, quod enim in rebus primum, æternum utique eſſe, communis notitia docet. 6. Eſſe *Bonum*, quia cauſam omnis *Boni*, ſummè bonam eſſe, communis notitia docet. 7. Eſſe *juſtum*, quia ex providentia ſua, res ſummâ æquitate temperari, communis notitia, ipſa experientia demùm, & hiſtoriæ paſsim teſtantur; piè enim & juſtè adminiſtrari omnia, etiamſi eorum cauſæ nos lateant, eſt (uti ſæpè monuimus) quæ difficillimas in Theologia, & Philoſophia quæſtiones expedit, notitia communis. 8. Eſſe *ſapientem*, quia ſapientiæ ſuæ ſpecimina non ſolùm in attributis ſuprà allatis, ſed in operibus ſuis quotidianis egregiè elucent; ſequuntur quæ maximè controverſa eſſe obſervamus, ſcilicet *infinitas*, *omnipotentia*, *libertas*, ſed *infinitatem* ſuam probat ipſa loci ſive ſpatij *infinitas*, omnia enim permeare *Numen Supremum* communis docet notitia; *omnipotentiam* ſuam probat *infinitas* ſua, quod enim infinitum eſt, nihil non poſſe, extra controverſiam ſitum eſt; *libertatem* ſuam probat *omnipotentia* ſua; quod enim nihil non poteſt, ſummè liberum eſſe, nemo ſanus, vel dubitavit unquam. Hos tamen qui diverſo modo ſentiunt, aliter aggrediendos cenſeo, & quia quod in nobis per participationem exiſtit, in Deo eminenter deprehendi, communis ſit notitia; ſi captum noſtrum ita ſuperat, ut termino nullo claudi queat, erit *infinitus* Deus; ſi omnia, abſque materia præexiſtente fecit, erit *omnipotens*; ſi denique *libertatis* noſtræ eſt Author, ſummè erit liber; iniquè enim veteres Scholæ, ſeipſos liberos, Deum compedibus primæ ſphæræ devinctum voluere: quo pacto *attributa Divina*, quemadmodum inter ſe nectuntur, ita ſeſe mutuò probant; ſed de attributis Divinis uti etiam

de attributorum ſynonimis, Scholę conſuli poſſunt, quas appoſitè hoc in argumento loquentes maximâ ex parte comperimus; Nos quidem iſtorum nomenclaturam, variè, & aliquando quidem abſurdè componi obſervamus; dùm enim attributa *infiniti*, & *unius* malè inter ſe committunt Ethnici, *plures* confingunt *Deos*; vel ſi ſub diverſis *Apollinis*, *Martis*, *Cereris* nominibus, &c. diverſas *providentiæ Divinæ* partes agnitas fuiſſe cum quibuſdam ſentias, ſaltem quæ ſub iſtis contexebantur nominibus fabulas tanquam inſulſiſsimas ſemper habitas fuiſſe, non eſt quod ſolus dubites; cùm de illorum fide malâ, nullus mortalium, quod ſciam, dubitaverit unquam. Attributa denique hoc examine reprobata, ſunt quę *novum*, *corporeum*, *multifarium*, *particularem*, *damnantem ex beneplacito* ſtatuunt: cujus modi *Numen* omne tanquam imaginationis eidolum exiſtimandum eſt, nullibi enim prætereà reapſe exiſtit. Ad ſecundam notitiam communem Theologicam pergimus.

SUPREMUM ISTUD NUMEN DEBERE COLI.

DE Adoratione *Deorum*, *Divorum*, *Sanctorum*, *Angelorum*, &c. non conventum eſt; ſolam *unius Dei* adorationem, *communis notitia*, ſive *conſenſus univerſalis* docet: inde *Divina illa Religio*, (ſine cujus aliquâ formulâ, nulla gens, vel quidem barbara extitit) non ſolùm ob beneficia ex ipsâ *providentiâ rerum communi* collata, ſed ob ea etiam, quæ ex *gratia*, ſive *providentia rerum particulari* impendebantur, ubique gentium ſancita eſt: inde (quod ſuprà adnotavimus) non ſolùm orari, ſed exorari poſſe Numen illud cœleſte ex facultatibus omni homini ſano & integro inſitis creditum eſt, inde denique (quod adhuc majus quiddam ſpirat) ad eventuum futurorum dignotionem conſulebatur

batur Numen à Vatibus, quibus ſolenne fuit nihil ſerium Numine inconſultò aggredi; Hucuſque igitur ab *inſtinctu naturali* edoctæ perducebantur gentes, & rectè; Neque enim ſe operibus ſuis claudi patitur, cauſſa rerum ſapientiſſima, ultra communem, dilectis ſuis particularem exhibens Gratiam; quod cùm in ſeipſo, unuſquiſque experiri poſsit, nonne injuſtum fuerit, eandem *Deo Opt. Maximo*, denegare potentiam? Neque igitur ſe fruſtra interpellari patietur Deus, quod ut reliqua mittam argumenta, ipſe Divini auxilij ſenſus paſsim docet: licet igitur doctrinam de *providentia rerum particulari*, ſive *gratia*, à veteribus, quatenus ex eorum libris (qui extant) colligi poteſt, remiſsius credi obſervemus, quia tamen cultus ille Divini Numinis ab omni ſæculo receptus, doctrinam illam de *gratia* ſive *providentia rerum particulari* neceſſariò infert; ideò doctrinam *gratiæ*, ſive *providentiæ rerum particularis* tanquam *notitiam communem* proponimus: Huc igitur ſpectant *orationes*, *preces*, *ſacrificia*, *gratiarum actiones*, &c. Iſto fine *delubra*, *Fana*, *templa*, *ædes ſacræ*, &c. edita ſunt; Hac denique de cauſſa *Sacerdoti*, *Vati*, *Myſtæ*, *Pontifici*, & reliquis hujus cenſus, honor, & nomen; quorum etiamſi egregius uſus, non ſolùm in Divinis, ſed etiam in humanis patuit; quia tamen gens aliquando vafra & ſubdola (lucro nimirum proprio) aliquando etiam & inepta fuit, plurima ſub *Religionis* nomine, quæ *Religionem* minimè ſapiunt, invexit; quapropter, artificio miro, *ſacra prophanis*, *vera falſis*, *poſsibilia veriſimilibus*, *cultum Dei legitimum*, *ceremonijs adulterinis* & *ſuperſtitionibus inſanis* commiſcentes, totam ferè auſim dicere corruperunt, conſtupraverunt, proſtituerunt, *Religionis* caſtitatem. Quatenus neceſſarij utcunque fuerunt Antiſtites, dum contemnebantur, timor Dei, & reverentia erga ſacra exuebatur ſimul; Hijſce igitur ſuus habeatur Honos. Nos interea, externum illum Dei

cultum (ſub aliqua *Religionis* ſpecie) ex omni *ſæculo*, *regione*, *gente*, evincimus; eſt igitur in ſe communis notitia; neque obſtat quod inter Barbaros, neque moles Templorum, neque ipſa fortaſſe Teſqua extent; ſuo more enim, oracula ſcitantes, nihil arduum, niſi propitiato Numine, moliuntur; ſed in remota quadam regione nullam *Religionis* formulam deprehendi poſſe, inquit non obſcurus Author, at à poſteriori quodam refellitur, qui linguæ vernaculæ regionis iſtius imperitiam illi objicit; utcunque, ſi inficias eat quiſpiam, reſpondendum eſt, eaſdem omni homini ſano & integro, *facultates ad Religionem* ſupereſſe, quas in ſeipſo unuſquiſque experiri poteſt, variè licet, & fortaſſe, nullo ſub cultu externo, puta *genu-flexione*, &c. explicentur; Hoc igitur aſſumimus, ut exinde *Religio*, tanquam ultima hominis differentia inſurgat; neque moramur, *irreligioſos* quoſdam, immò & *Atheos* videri poſſe; re ipſa enim *Athei* non ſunt; ſed cùm falſa & horrenda attributa à quibuſdam Deo affingi deprehenderint, *nullum* potiùs quàm *tale Numen*, credere maluerunt; Veris honeſtetur, tantum aberit, ut non credant, quod ſi nullum hujuſmodi daretur, tale exoptaverint *Numen*. Si tamen *irreligioſos* quoſdam prorſus, immò & *Atheos* inveniri poſſe contendas, (quod tamen non credimus,) cogita & *inſanos* & *irrationales* non paucos, deprehendi poſſe inter illos, qui *rationale* tanquam ultimam hominis differentiam tuentur. Neque enim aliter inter tot miras circa *Religionem* contradictiones, tot dari potuiſſe Martyria, nulla ferè ut μυθιϰὴ Eccleſia, ſuis non glorietur Agoniſtis, qui non ſolùm (ejus cauſâ) auſteriſsimum aliquod vitæ genus profeſsi ſunt, ſed ultroneam etiam ſubjêre mortem, niſi quod hominum pertinaciſsimi, & ſummè *irrationales*, *verum* à *veriſimili*, à *poßibili*, & à *falſo* diſtinguere nequiêre, ſtatuendum eſt. Ad partes cultus Divini, ex conſenſu univerſali, agnitas tranſimus,

tranſimus, ex quibus ea quæ ad *Analogiam hominis ad Deum*, *Analogiam hominis ad res*, *Analogiam denique rerum inter ſe* reduci poſſunt, ſub *probâ facultatum conformatione* deſcribimus, & proindè dicimus.

PROBAM FACVLTATVM CONFORMATIONEM, PRAECIPVAM PARTEM CVLTVS DIVINI SEMPER HABITAM FVISSE.

DE *ritubus*, *ceremonijs*, *traditionibus*, ſive *ſcriptis*, ſive *non ſcriptis*, &c. minimè conventum eſt; ſed de *probâ facultatum conformatione*, ſummus datur ubique conſenſus; Quâ lege, proba illa facultatum conformatio inſtituenda ſit, ſuprà ubi de *ſenſibus internis* abundè dictum eſt, quæ idcirco repetat Lector; ubi, ex conſcientiâ *notitijs communibus* inſtructâ, veram *ſpem*, ex verâ *ſpe*, *fidem*, ex verâ *fide amorem*, ex vero *amore gaudium*, ex vero *gaudio Beatitudinem* inſurgere docetur; & in præſens ſatis habeat, nullam facultatem, quæ ad *pietatem*, *puritatem vitæ*, *ſanctitatem*, *virtutem* facere poſſit, hac in claſſe non reponi; quarum ſeriem aliquam, (pro ætate uniuſcujuſque & menſurâ ſapientiæ, à Deo collatæ) ſubtexuri, dicimus ab infantibus, ſub ratione *Beatitudinis* agnoſci quodammodò & appeti, ſub ratione allubeſcentis cujuſdam gratitudinis in benefactores, recoli neque inſcienter Deum. Ideò nulla *indoles*, *gratitudine* pulchrior, *ingratitudine* turpior: in adultioribus demum, gratiarum actione emergente, & *communibus notitijs* ſeſe gradatim ad objecta explicantibus, cultus Divinus uberior factus in plura tranſit; dignior tamen *gratitudine illâ*, nullus exhibetur cultus; procedente denique ætate, *pietas illa* & *vitæ ſanctitas* ſeſe in conſcientiæ foro exprementes, *amorem*, & *fidem* ingentem in Deum excitant,

cum hijs denique maxima ex parte, non ſolùm ſuperſtitiones & ineptiæ, ſed ipſa etiam vitia & ſcelera pullulant & connaſcuntur, quæ uti Zizania & lolium ex tritici quodam ſemine Hermaphroditico oriunda, ſerius ut germen emittant, citiùs tamen (ni fortè ſarriantur) maturitatem ſuam aſſequuntur, quod naturæ eorum, ex quibus corpus conficitur, tribuimus; Ideò poſterior re ipsâ ut ſit Natura belluina, ante rationalem tamen Naturam in nobis abſolvitur, quod mirum non videbitur ijs, qui beſtias triennio ferè perfectionem ſuam attingere advertunt, quod an ex tranſplantatione, an verò diverſo modo proveniat, non lubet heic explicare; Ne cui Paradoxum interea videatur, duram & rigidam illam virtutem, quæ ſenſibus corporeis, & (ut ita dicam) genialibus adverſatur, ab humano genere tamen omni ſæculo & regione ita celebratam eſſe & fuiſſe, ut nullibi non veneranda audiat, hanc reddimus rationem; Nempe quod cùm animæ è corporeâ mole tandem migraturæ, perpetuo obſtetricetur opere Natura, virtutem iſtam tanquam modum & cauſſam optimam undè paulatim diſtineatur, laxetur, & in ſuum jus aſſeratur mens noſtra, ſecreto ejuſdem Naturę dictamine habuerint; quod (pluribus quidem ſuffultum argumentis) nullo luculentiore tamen conſtat indicio, quàm quod animam noſtram medijs voluptatibus immerſam & quidem volutantem non ſolùm revocet & abducat, ſed ſuis etiam Natalibus ita fœliciter reſtituat ſola virtus, ut à fœdo ſubinde vitiorum conſortio, & ipſo demum mortis timore emancipata, rotundè proprio defungi munere, & εὐθυμίαν illam internam, ęternam comparare poſsit.

Vitia

VITIA ET SCELERA QVAECVNQVE EXPIARI DEBERE EX POENITENTIA.

FEBRVIS, *luſtrationibus*, *ſacrificijs*, καθάρμασι & ἀφοσιώμασι illis protritis ſcelera expiari, non conventum eſt; ſed verâ ex *pœnitentiâ* elui, & novum cum Deo iniri poſſe fœdus, Religionum conſenſus univerſalis, Bonitatis Divinæ conditio, & ipſa conſcientia imprimis docent; quo enim interno foro, maximè interdicuntur ſcelera, eô ipsô, verâ ex *pœnitentiâ* emaculari poſſe, *ſenſus internus* (ſub conditionibus ſuis) docet; An verò aliud & quidem convenientius detur medium, unde juſtitiæ Divinę ſit factum ſatis, non eſt heic in animo exponere, cùm nihil hoc in opere pręter veritates incontroverſas ex ſenſu, & conſenſu univerſali petitas, propoſitum habeamus; Hoc ſolummodo dicimus, (quicquid in adverſam partem, à quibuſdam ſuggeratur,) quod, niſi ſolâ ex pœnitentia & fide in Deum, vitia & ſcelera quæcunque eliminari poſsint, & juſtitiæ Divinæ, bonitas Divina adeò ſit κωθὸν, ut non ſit ulterius quò provocetur, Nullum univerſale ita patere, vel olim patuiſſe remedium, ut fuerit quò confugeret, miſera ex peccati ſenſu languentium turba, vel haberet, unde gratiam & pacem illam internam conciliaret, & tandem in id deveniendum ſit, ut quoſdam, immò longè majorem hominum partem inſcios (nedum invitos) & creaverit, & damnaverit Deus Opt. Max. quod adeò horrendum & *providentiæ*, *bonitati*, imò & *Iuſtitiæ Divinæ* incongruum ſonat, ut mitiori, immò & ęquiori ſententiâ dicendum ſit, totum humanum genus, ex pœnitentiâ ſemper habuiſſe media, unde Deo acceptum eſſe potuit; quibus ſi exciderit, non jam ex Dei beneplacito, ſed ex proprio hominum peccato, perditionem univſ-

cujuſque extitiſſe, nec per Deum ſtetiſſe, quò minùs ſalvi fierent; Vtcunque, huc recidit omnis concionatorum celeberrimorum, circa ſalutem æternam doctrina, cùm citra *pœnitentiam* iſtam, adeò nullum proficiat remedium, ut ignavum & inutile omninò, (vel ex eorum ſententiâ) reddatur. Reſtat, quod tanti momenti (pro *Bonitate Divina*) eſſe credant, ut in ijs quibus nulla commodior data eſt via, totum ſalutis myſterium exinde abſolvi poſſe exiſtiment; ſed regerunt quîdam, *Naturæ*, ſive *providentiæ Divinæ univerſalis* ſuggillatores, nos non poſſe ſemper pro arbitrio noſtro *reſipere*; ipſi diximus neque *ſapere* poſſe; diſtinctionem motus *voluntarij* & *involuntarij* (quod ſuprà innuimus) neſciunt, iſta prædicantes, neque advertunt ſe aliquos motus cohibere, aliquos neque ciere poſſe: neque recordatur homo quando vult, neque quidem vigilat, aut dormit; Iſtorum quidem uti plurium motuum internorum quædam dantur viciſſitudines & gradus; ſed affirmare Deum præcluſiſſe media (modò quod in nobis ſitum eſt, præſtiterimus) unde ad illum fiat reditus, adeo blaſphemum eſt, ut non jam humanam, ſed etiam Divinam bonitatem hujus ſententiæ aſſertores, è medio tollere conentur: Ab iſtis igitur reſipiſcant, & ſaltem de occultis Dei judicijs modeſtè ſentiant & loquantur, cùm, ſi non ex providentia communi, ſaltem ex *gratia*, ſive *providentia particulari* etiam revelata cadere potuiſſe media, unde placetur Deus, non eſt quod diffiteantur; nos interea, affatim tributum *gratiæ* exiſtimamus, quod ex illâ perficiantur, per illam accipiantur opera noſtra: Hæc autem ſunt in primis, unde Deo miſericordi, factum ſatis, pro bonitate ſua arbitramur: in Analogia enim illâ mutuâ, quam mutuò obtinemus, quando *expilatione*, *peculatu*, &c. bona diripiuntur, ultra *reſipiſcentiam*, reſtitutionem jubet gentium lex illa communis, ſive conſenſus univerſalis; ſi quiſpiam interea prurienti ingenio

ti ingenio prædituſ, à nobis poſtulaverit, cur intra noſtram, ſtet arbitrij libertatem, peccata & ſcelera iſta perpetrare poſſe; optimè quidem reſpondebimus, iſta ab occultis Dei judicijs pendere, ſi quid tamen ulterius pro modulo facultatum humano generi inſitarum petat, reſpondendum eſt, hominem eſſe animal finitum, neque igitur aliquid ſimpliciter, vel *bonum*, vel quidem *malum* facere; horum interea rationes in unaquâque actione ita temperari, ut utriuſque quodammodo fiat particeps, denominatio ut ſequatur majorem partem; Qui tamen plura hoc in Argumento deſiderat, conſulat quæ ſupra pag. 84. attulimus; atque ita breviter tranſactis, quæ circa curſum Theologicum in hoc vitæ ſtadio in primis recipiuntur notitijs communibus, ad *futurum vitæ ſtatum* accedimus, quem unicâ tantùm propoſitione complectimur, nempe.

ESSE PRAEMIVM, VEL POENAM POST HANC VITAM.

QVIDAM in *Cœlo*, quidam in *Aſtris*, quidam in *Eliſijs campis*, quidam in *Contemplatione*, præmium æternum polliciti ſunt; Quidam in *metempſychoſi*, quidam in *inferno*, (aliquibus *ardente*, Chinenſibus *fumoſo* tantum) ſive in *infernis* quibuſdam, quidam in *media aëris regione*, quidam in ipſa *morte*, quidam demum ad *Tempus*, quidam *æternam* comminati ſunt *pœnam*, ſed *præmium* vel *pœnam* nos manere poſt hanc vitam tranſactam, omnis *Religio*, *Lex*, *Philoſophia* (& quod magis eſt, *Conſcientia*) docet, *apertè* vel *implicitè*: *apertè* docet, ſupra allatis nominibus freta, *implicitè* docet, vel animi immortalitatem ſtatuens, vel Deum ultorem ſcelerum, quæ impunè hac in vita quiſpiam commiſerit: quo ſenſu, nulla gens adeo barbara viſa eſt,

 quæ

quæ *præmium* & *pœnam* non agnovit, non agnoſcet; eſt igitur *præmium* & *pœna*, notitia communis in quæſtione *an*, licet in quæſtione *quid*, *quale*, *quantum*, *quomodo*, &c. ut plurimùm diſceptetur; neque obſtat, à quibuſdam aſſeri, animam unà cum corpore interire, aut enim hoc ipſum tanquam peccati pœnam aſſerunt, aut ſaltem, eam animæ partem qua maximè uſi ſunt, (ſenſibus nimirum corporeis) hoc ipſo intelligunt, vel omnino inter inſanos reijciendi ſunt, cùm ea quæ dicunt, nullo facultatum indicio conſtent; *Animam enim poſſe eſſe immortalem*, ſi Deus voluerit, adeo eſt notitia communis, ut inter gentes remotiſsimas, ſexcentis inſaniarum generibus æſtuantes, *ſanctitatem vitæ* & *fortitudinem beatam* eſſe, ſummè conventum ſit; ideo dicuntur oſſa ſtrenuè morientium recolere; Sed nos qui neque ſuperſtitiones, neque ceremonias, neque ea quæ plures, ſed ea quæ omnes ſani & integri aſſerunt inveſtigamus, adeo circa iſta non torquemur, ut ſatis habeamus ineptiarum & figmentorum cumulum immenſum ruſpantes, aliquam vel minimam *notitiam communem* eruere poſſe; quod adeo magni fuerit momenti præſtitiſſe, ut, quod totas exhaurit vel totas reſpuit doctrinas (nullo utens delectu) vulgus, ex methodo iſtâ, uſque quo fides adhiberi poſsit, addiſcat.

Ex quibus patet, quæ *Supremum Numen agnoſcit*, *cultum ejus jubet*, *vitæ ſanctitatem præcipit*, *pœnitentiam ſcelerum indicit*, & *præmium vel pœnam poſt hanc vitam denunciat*, eſſe à Deo profectas & in nobis deſcriptas *notitias communes*; quæ verò plures Deos confingit, ſcelera & peccata non vetat, impœnitentiam invehit, & circa æternum animi ſtatum vacillat, neque notitias communes, neque quidem veritates habendas eſſe: non eſt idcirco omnis Religio (ſi totum ſumas contextum) bona, neque in omni Religione ſalvari poſſe homines perhibemus. Quomodo enim qui *plus juſto* credit, *minùs juſto* perficit, ſalvus fuerit? ſed in omni

Religione,

Religione, imo & conſcientia, ſive ex *Natura* ſive ex *Gratia*, media ſufficientia dari, unde Deo accepti eſſe poſſint, ultrò credimus, modo nova & particularia quocunq; ſæculo fuerint, ſuis Authoribus vindicentur; neque enim ſatis fuerit, vetuſta ut ſint, ſi aliquando nova; tam innovari enim quàm antiquari poſſunt; quæ ſupervacanea, vel falſa, necesſaria demum in univerſum eſſe nequeunt, quæ paucorum captui ſolummodo ſubijciuntur: *Revelationi*, inter hæc ſua ſtet veritas, cui, hijs noſtris adeò nulla derogatur fides, ut quæcunque præterea adjecerit, in lucro ponamus; ipſius revelatæ veritatis denique fundamenta jaciantur, ut tandem in omnibus controverſijs in id rediri poſſit, ex quâ facultate probas, quo pacto doctrinis vulgaribus adeo non repugnant, quæ heic attulimus, vel novum quiddam innuunt, ut nihil niſi *notitiarum communium ſymbolum*, & maxime receptam ſententiam omni Religione, ſæculo, regione, propoſitum habeamus; non negamus interea & ſacras dari poſſe *ceremonias*; immò aliquas in omni *Religione, ceremonias*, ad ornatum commodiſsimè inſertas advertimus; harum igitur quidam eſt uſus; dum tamen ab Antiſtitibus tanquam Religionis eſſentiales partes vindicantur, & *Religioni*, & nobis ipſis imponitur, ſtent igitur intra cancellos ſuos, ea lege demum adhibeantur, ut ſemper in animo infigatur, *Religionem caſtam*, qualia *matronam* decere redimicula, ea ſcilicet, quibus magis auguſta, ſpectabilis & reverenda prodeat, pigmentatas demum & fucatas, autem ἑταιρικήν & quæſtuariam nimis redolere.

HÆ autem ſunt omninò *notitiæ cõmunes*, ex quibus *vera Eccleſia Catholica* ſive *univerſalis* conſtat. Neq; enim illa macerie quacunq;, ſive lapide exciſo & calce vivâ, ſive quidem marmore extructa moles, *Eccleſia quæ errare non poteſt*, nuncupanda eſt; immò nec ipſi homines, ſive dicto, ſive

ſcripto ſua promiſcuè & tumultuariè effutientes ſuffragia, *Eccleſiam verè Catholicam* conſtituunt; minus adhuc quæ ſub aliquo inſigni particulari militans, vel in aliquem gregem compulſa, anguſtijs alicujus (orbis terrarum) partis, vel ſæculi concluditur, *Eccleſia verè Catholica* ſive *univerſalis* cenſenda eſt; ſola *Catholica*, ſola μονοειδὴς Eccleſia, eſt notitiarum communium doctrina, omne ſpatium, omnem numerum complens; hæc ſola enim providentiam Divinam univerſalem, ſive Naturæ ſapientiam pandit; hæc ſola, rationem, unde Pater communis invocatur Deus Opt. Max. exponit; extra hanc denique nulla ſalus: quę igitur particulari cuicunque Eccleſiæ attexuntur encomia, huic conveniunt; à qua, quæ maximè receſſerit, maximè errori obnoxiam eſſe ſuprà docuimus; Recedit autem, quæcunque à certis providentiæ Divinæ univerſalis veritatibus, ad incerta animum pelliciens, nova fidei dogmata cudit: ſi cui tamen, aliquid ex *Revelatione* conſtiterit, quod fieri poſſe, ſive in vigilijs, ſive in ſomno agnoſcimus, in uſum reponat, ea lege, ut ſibi ſapiat, niſi publico aliquid permittatur bono; neque enim ad humanum genus ſpectare poſſe videtur, quod facultatum indicio communi, non conſtat: Piè tamen plurima credi poſſe, nihil autem negari, niſi cum attributis Divinis ex diametro pugnat, non ſemel monuimus: neque eſt igitur, quòd nos calumnietur quiſpiam, qui media providentiæ Divinæ univerſalis exquirentes, in propatulum denique afferentes, ſuo nitori & luci, reſtituimus: Hjſce per me accedant quæcunque, unde Deus Opt. Max. benè audire poſſit: nos quidem ea omnia, quæ ſæculis prioribus, de *Bonitate & Miſericordia* Divina decantantur, ſolenni fide, & gratiarum actione accipimus, & non ſolùm fieri potuiſſe, ſed etiam facta fuiſſe cum maximâ hominum parte credimus, ex veritatibus tamen providentiæ Divinæ univerſalis fundamenta fidei, rectè petita eſſe contendimus,

cum

cum nullo præterea pacto, conſpirationem *Naturæ*, ſive *providentiæ illius communis*, cum *Gratia*, ſive *providentia rerum particulari* ſalvari poſſe perſpexerimus; An verò hæc media ad ſalutem ęternam ſufficiant, viderit cui iſta curę ſunt, Deus Opt. Max. Nos quidem occulta Dei judicia minimè rimamur: ſed huc uſque ſapere poſſe & potuiſſe omnes homines aſſeveramus; quę an præſtiterint, an verò hijs pręſtitis neceſſariò ſalventur non diſputamus, ſed à ſapientiâ & bonitate Divina conſulenda ducimus; ſi impugnas tamen propugnabimus, neque enim alia lege *providentiam Divinam univerſalem* (ſummum Dei attributum) ſoſpitari poſſe, vel invitus fateberis; Hijſce interea ſi exciderimus, (nam ultra media, Naturam ſive providentiam rerum communem ferri, non ſemel monuimus) & blaſphemijs impijs, ſceleribus horrendis, & denique impœnitentia noſmetipſos ſacramento quô tenemur, exolverimus, vel ſuperſtitionibus inſanis, & figmentis putidis, Religionis puritatem conſpurcaverimus, adeo inique, adeo injuſte, inculpatur illa ſuprema bonitas, ac ſi in adijciali cœnâ, lautiſsimo ferculorum apparatu instructâ, Crapula, Heluatio, & ἀσωτία illa, ponentis vitio vertenda eſſet; quod *ſatis* enim à Deo quod *nimium* à nobis ipſis fuerit.

DE

DE REVELATIONE.

EST & *veritas quædam revelata*, quam niſi ingrati, tacere non poſſumus; cujus ratio tamen, à priori adeò diſtat, ut *veritatis noſtræ* fundamentum, à facultatibus noſtris, *veritatis revelatæ* fundamentum, è *revelantis* auctoritate deſumenda ſit; ſumma igitur cautelâ, ipſis de *revelationibus* decernendum; cùm enim *revelationes* falſæ eſſe poſſint, ultra facultates, ipſis in *revelationibus* ſapere, vix tutum arbitramur: Iſtæ tamen conditiones ſi adſint, fidem *revelationi* adhibere conſulimus. 1. Vt *Oratio*, *votorum nuncupatio*, *fides*, & cunctæ demum quæ *providentiam* ſive *univerſalem*, ſive *particularem* provocant facultates, præmittantur. 2. Vt tibi ipſi pateſiat, quod enim tanquam revelatum ab alijs accipitur, non jam *revelatio*, ſed *traditio*, ſive *hiſtoria* habenda eſt; cùm autem *hiſtoriæ*, ſive *traditionis veritas*, à *narrante* pendeat, fundamentum relationis extra nos poſſidet, & proinde tota eſt *veriſimilis*. 3. Conditio eſt, ut *Bonum* aliquod ſuadeatur; ita enim *revelationes* ſanæ, à *tentationibus* inſanis & impijs diſtinguuntur. 4. Conditio eſt, ut *afflatum Divini Numinis* ſentias, ita enim internæ facultatum circa veritatem operationes, à *revelationibus* externis diſtinguuntur; Quando igitur quod datur, humanum ſuperat captum, & conditiones ſuprà enumeratæ adſunt, & in opere perficiendo denique, *Divinum* perſentis *auxilium*, *propitium Numen* venerare; verùm enim verò, vehiculum quô ad nos ferri poſsit, *revelatio* iſtius modi quæcunque, adeò non præfinire certum eſt, ut quæ ſupra *Naturam*, aliquibus concludere legibus, ultra noſtram ſitum ſit provinciam; ſive igitur in *ſomno*, ſive *vigilijs*, ſive *Ecſtaſi*, ſive *ſermone*, ſive *lectione*, &c. compareat, iſtæ ſi adſint conditiones,

nes, *Revelatio Divina* habenda eſt: Magnoperè interea cavendum ne imponatur, quòd *atrabilarijs*, *ſuperſtitioſis*, & *cauſas rerum ignorantibus*, ubique contingit, quo de argumento, ubi de *errorum cauſis*, (juvante Deo) fuſiùs tractabitur: quatenus ad media tamen ſpectat, communis quidem fert ſententia, miniſterio ſpirituum quorundam, revelationes ut plurimùm fieri, quos tanquam *exiſtentias* quaſdam Naturâ ſuâ; *invifibiles*, *impalpabiles* à *corporea mole liberas*, *dote agilitatis præditas*, ſive Angelorum, ſive Dæmonum, ſive Intelligentiarum, ſive Geniorum, &c. nominibus inſigniantur, omne agnovit ſæculum; cùm tamen indolem illis adeò ancipitem tribuerit, ut quidam boni, quidam etiam prorſus noxij exiſtimentur, de hijs ipſis non ſine ratione ambigi poteſt: præcedentes tamen ſi adſint conditiones, non eſt quod te ſollicitum habeas, cùm aliundè, quàm à Deo proficiſci nequeat hujus modi explicatio quæcunque: Hæc autem breviter de *Revelatione*, ſtrictiore ſua acceptione, dicta ſunto: latiore enim ſuo ſignificato, quodcunque ex *gratia Divina* demandatur, *Revelatio* eſt. Inde votorum damnatis, è cœlo demiſſum in rerum anguſtijs auxilium, *Revelatio* eſt; inde ſenſus illi interni, Numinis operantis circa *fidem*, *bona opera*, *reſipiſcentiam*, *revelationes* ſunt; inde *compunctiones* quædam & *precum ejaculationes*, à *revelatione* ortum habent, & in illam denique terminantur; & ut paucis dicam, omnis *novus ſenſus Divinus*, *beatus*, (qui in *foro interno* excitatur) *Revelatio* eſt; propriè tamen loquendo, *revelationes* fuerint ſolummodo, quas ſupra *providentiam rerum communem* conſtitutas, *ſenſus internus* dictat; ideo niſi *ſenſus* quidam *ſupernaturalis*, & δαιμόνιος explicetur, intra providentiam ſuam univerſalem ſtetiſſe Deum, & facultatibus ad *fidem*, *orationem*, &c. omni homine ſano & integro inſitis (de quibus ſuprà) reſpondiſſe exiſtimandum eſt, quæ igitur ex providentia univerſali, quę etiam ex particulari, quæ demum tanquam ipſiſſimæ reve-

 lationes

lationes haberi debent; ex iſtis patet; Ne interea parum tributum *gratiæ* Doctores qui ſe totos in illâ eſſe exiſtimant, hiſce noſtris animadvertant; iterum & iterum dixiſſe non gravabimur, quod ex *gratia* perficiantur, per illam accipiantur opera noſtra. Principia tamen actionum bonarum, è notitijs communibus, ſive ſapientiâ Divinâ nobis impertitâ derivari, ſenſu interno edocti, perhibemus; Quemadmodum igitur nullum mortalium conſcientiam ſuam ex induſtriâ adeo oppilare poſſe, ut rationem *boni* & *mali* in actione quâvis tandem non percipiat, extra controverſiam ſitum arbitramur: ita quidem quando ex ratione iſtâ non ſatis expenſa, malo perpetrato, totum hominem commoveri, & horrore quodam percelli *ſenſus internus* dictat, quando demum ab iſtis ita reſipiſcit, ut factorum pœniteat, & in munere ſuo ſeſe aliter præbuiſſe, omninò exoptat; quando denique *precibus*, *oratione*, & *votis* ad Deum, quem maximè conſcientia docet iſto nomine offenſum contendit, & conſilium de vita emendatiori init, nihil ultra *gratiæ communis* latitudinem cecidiſſe exiſtimandum eſt: Huc uſque igitur providentia Divina univerſalis pertingit; quando tamen fide intenſiore factâ, Deum inſolito more provocamus, & ope ſua ſalutari, dein in foro interno egregiè & inuſitatè ſublevari noſmetipſos ſentimus, ex *gratia*, ſive *providentia ſua particulari* illuſtrari animam, & attributo Divino novo, ſeſe explicante, nos inconſueto modo affici, exploratum habemus; Quod igitur (ut paucis dicam) principia actionum ex ſapientia Naturæ, ſive providentiæ rerum communis deſumpta conſummat, & in finem perducit: quod denique actiones iſtas in Dei conſpectu, gratas & acceptas exhibet, ex *gratiâ* eſt: qua lege terminos & metas *Naturæ*, ſive *providentiæ rerum communis*, & *gratiæ* ſive *providentiæ rerum particularis* optimè poni arbitramur; Ex quibus patet, quæ ſtrictiore, quæ latiore etiam ſuo ſignificato, *Revelationes*, exiſtimandæ

ſtimandæ ſint; quô modô licet omnes fidei articulos, ita propriâ luce conſpiciendos exhibeamus, ut niſi à *revelatione* aliquâ, quæ nobis ipſis conſtiterit, ſuam auctoritatem accipiant, tanquam aliorum placita, in examen perduci poſſint; quia tamen nullo non utitur medio, pro bonitate ſuâ Deus Opt. Max. non tam organum per quod tranſmittitur *revelatio*, quàm *illa ſenſus ratio*, quam ſuprà adduximus, expendi debet: Quæ igitur de *Religionis* magnalibus expectaverit quiſpiam, ex hijſce eruenda relinquimus; neque enim δογματικῶς loqui profitemur, Lectori ſatis fuerit interea ea omnia, quæ quovis ſæculo, vel regione pie dicta vel facta ad miraculum uſque perpetuâ ſerie perhibentur, ſumma fide & gratiarum actione accipi poſſe & debere; præſertim ubi nulla inſignis datur contradictio; Antequam tamen ad veriſimilia tranſeamus, paucis expendere lubuit, an quæ in *decalogo* continentur præcepta, ſint *notitiæ communes*, an verò veritates revelatæ: A nobis quidem omninò tanquam *notitiæ communes* habentur, cùm nulla vel *Religio*, vel *Lex* non ita juſſerit. Quæ enim in imperijs maximè imperat, *providentiam Divinam univerſalem* in neceſſarijs non deficere, ſæpiùs adnotavimus; variè igitur ut compoſitę fuerint, in *compoſitionem* demum ut plurima venerint, quæ fortaſſe neque *pietatem* neque *juſtitiam* ſapiebant, citra iſtas ſtetiſſe ſine piaculo, haud exiſtimandum eſt; Parum interea refert utrùm ab Antiſtitibus ſacris, an verò à Nomothetis ſuis promulgatæ fuerint iſtæ leges, cùm legum obſervantiam non ſolùm civili, ſed relligioſo etiam cultu ſancitam fuiſſe docuerint antiquorum doctiſſimi; ſunt igitur notitię communes; quatenus tamen circa earum ἐξήγησιν, in errorem proclivis fuit via, quandam quaſi explicationem ex miſericordia ſua (eamque modo quodam Divino & ſupra communem) indulſiſſe Deum Opt. Max. credere par eſt. 1. Supremus igitur ex notitia communi, ut Deo Opt. Max. debeatur Honos, ne

 fortè

fortè tamen inferiorem aliquem cultum ſanctitate præclaris tribuendum eſſe ſuſpicarentur homines, ſe ſolum coli jubet. 2. Quia ejus ſimulachrum aliquod effingere potuerunt, quod etiam ad adſpectum patens, venerationem & reverentiam concitaret, ſigna quęcunque, & imagines interdixit. 3. Quia bonitas illa ſuprema, in nimiam quandam facilitatem & contemptum venire & ſubinde traduci omni levi ex re, vel ſermone potuit, ſeipſum in teſtimonium vanum vocari non paſſus eſt. 4. Ne vel negotijs vel ęrumnis frangerentur homines, vel ex adversâ parte nimis feriarentur (*feriari* enim *Deo*, eſt *notitia communis*) ſex dies labori & curę, ſeptimum vacationi, & cultui Divino dicavit. 5. Ne parentum ſeriem, tanquam primam aliquam cauſſam ſuſpicerent homines, & proinde cultum aliquem Divinum illis deferrent, qualem ex honore parentum, ſperare liceat benedictionem, docuit. 6. Ne ſibi ipſis, vel aliis iniicerent manus, niſi propriæ conſervationis ratione neceſſaria adducti homines, occiſionem vetat. 7. Ne nihil in amore non licitum exiſtimarent homines, adulteria inhibet. 8. Ne ex ſubreptione alieni neceſſitatibus ſuis ſubvenirent homines, furtum interdicit. 9. Ne nulla non conſtaret veritas, falſum teſtimonium prohibet. 10. Ne denique in alienum ius trahi poſſe, quod merito quiſque poſsidet, exiſtimarent homines, ſuum cuique etiam in foro interno vindicat; Hæ igitur ut ſint affatim notitiæ communes, quia tamen illis ſuperaddere aliquid in promptu fuit, hoc ipſum *revelatione* ſive *providentia ſua particulari* præcaviſſe Deum *piè creditur*, cui fidem lubentiùs adhibemus, quod primoribus ſæculis; lege Naturæ inconcuſsâ, ut vixerint parentes noſtri, quia tamen prævaricatores tandem foro interno audiebant, DEUM OPT. MAX. normam iſtam dediſſe, unde rectiùs deinceps viverent, æquum ſit credere.

DE

De Veriſimili.

VNiversa *traditio, Hiſtoria univerſa*, univerſum illud demum, quod demandatur olim de rebus, ſive *verè*, ſive *falsè*, ſive *piè*, ſive *impiè* geſtis, reſpectu noſtri, eſt *veriſimile*; à narrantis enim authoritate pendet: proinde extra propriam facultatũ Analogiam, fundamentum ſuum, (ſeu *veritatem rei* in ſeipſa, ſive *veritatem intellectus*, ſpectes) obtinet: prout verus igitur ille, vel falſus fuerit, qui iſta narrat, ita etiam & fides quæ illi adhibetur: in hijs tamen dantur quidam gradus; quemadmodum enim ad *veritatem rei*, proximè acceſſerit, qui res teſtimonio communi exploratas, & quæ fieri conſueverunt, annunciaverit; *Veritatem* demum *intellectus ſui* maximè ſtabiliverit, qui rationem *loci*, *temporis*, & reliquarum *circumſtantiarum* (unde exiſtimationem promereantur, quæ credi poſtulat) adduxerit, ita maximè decoquunt fidem *hiſtoriæ*, quæ nulla probabili ratione ſtatuminantur; quæ tamen haud ita intelligi volumus, quaſi mira quæcunque & extra communem morem poſita, abdicaremus; & *mira* quædam & *prodigioſa*, omnis ferè docet *hiſtoria*; hijs igitur ſua ſtet fides; fieri enim potuiſſe, ſi Deus voluerit, agnoſcendum; ea lege tamen, ut ſi infecta fuerint, nihil minùs, intra *veritates æternas* ſtari (idque commodè) poſſe, tecum reputes; quædam enim affirmare, nihil niſi contradictoria negare doctrinam noſtram, non ſemel profeſſi ſumus: Vtcunque non hæc *veritas tua*, ſed *Authoris* fuerit, cui ſi conditiones obtigerunt, unde facultates ſuæ cum objectis, ſive proprijs ſive communibus conformari potuerunt, *verum* in relationibus ſuis prodijſſe exiſtimandum eſt, qua ratione quod ille *ſcire* potuit, te *credere* par eſt: cùm tamen quod iſto pacto creditur, nullo *γνησίῳ* facultatum indi-

cio conſtet, quod in narrante *verum*, in accipiente erit ſolummodo *veriſimile*; ex quibus patet, nullam *alienæ veritatis* eſſe normam, ſed quod *verum* in Authore ſonare videtur, re ipſa *falſum*, quemadmodum *abſonum quodvis*, (contradictiones & ἀσύστατα ſi tollas) *verum* eſſe poſſe; & proinde tanquam extra Analogiam ſuam conſtituta, ad te neceſſariò non ſpectare; neque enim *veritates tuæ* fuerint ſed *veriſimilia*: quo pacto ut nullus de rebus geſtis detur ſcriptor, ut nulla de præteritis extent commentaria, *veritates æternas*, ipſis ex *objectis*, & *notitijs communibus*, medio *providentiæ Divinæ univerſalis* elici poſſe, ſtatuendum eſt; ſed ita ne inquies, *hiſtoriarum* fidem convellis, infirmas, quaſi *parum* feciſſe videantur, qui hiſtoriam *Creationis*, *Redemptionis mundi*, &c. tradiderunt? immo *maxime*; ſed Deum *à quo*, *per quem*, *in quo*, *ad quem* omnia, non tanquam *hiſtoriam*, ſed *notitiarum communium doctrinam* accipio, de *modo*, *tempore*, &c. penes Auctores ut ſit fides; neque igitur *hiſtoriæ ſacræ*, hiſce noſtris concidit fides, vel détrahitur, cui cum maximâ hominum parte, adſenſum ita lubentiſsimè præbeo, ut & iſta & majora feciſſe Deum, ſi prędicarentur, omninò crederem; ſed cognitionem & certam ſcientiam, à fide per auditionem, ita diſtinguo, ut quid *ſciri*, quid *credi* poſsit, in omni Religione advertam; ſtet igitur inter libros ſummus, ille *Scripturæ ſacræ*, cujus ut varij fuerint Auctores, quos miro nexu inter ſe compoſuit, ſæculum iſtud poſterius, quid tamen non θεόπνευστον toto contextu, quid non tanquam *ſanctum*, & *à Deo profectum opus*, piè credi poſsit? Iſtum igitur librum, cæteris abjectis, ſumma veneratione accipimus, neque ullibi ſolamen comparamus, vel præſidium firmius; dum enim *notitijs communibus* quibus ſcatet, inſtauratur *ſcientia*, uti *miraculis*, *fides*, totus internus homo exuſcitatur, & in futurum qui diſertè enunciatur ſtatim, componitur, ſi quid tamen, in ſacrum quemvis, vel prophanum librum, ex incu-

riâ,

riâ, ſive quidem cura temporum olim irrepſiſſe compertum fuerit, unde Deus Opt. Max. malè audiret, & attributa Divina ex conſenſu univerſali agnita convellerentur; ſi non emendandum codicem, (quod novum non eſt) ſaltem interpretes incuſandos, qui à mente Authorum, & ipſa demum Analogia fidei diſcedentes, opiniones invexerunt, *notitijs communibus* repugnantes, quidni arbitremur? ſed de hijs modeſtè & intra terminos, quia adeo nihil redarguit, ut neque in examen perducere aliorum ſcripta ſuſtineat inſtitutum noſtrum: Totâ igitur hiſtoriæ mole ita conſtituta, quòd, vera *veritate rei* ut fuerit, vera, *veritate intellectus* (cujus fundamentum in nobis) eſſe nequeat, & proinde *veriſimile* optimè dictum exiſtimemus, (cùm non ſit magis credibile illum olim fuiſſe falſum, quàm te modo futurum) omnem *hiſtoriam* legitimam, adeo parum à *veritatis* Natura recedere exiſtimandum eſt, ut quę ἀξιόπιστοι dixerint, ſummę impudentiæ fuerit dubitare, veritates iſtius claſsis, ut in *fidem* & fortaſſe *credulitatem*, Illius, in *ſcientiam* & *intellectum* deſinant: Heic igitur judicio & delectu opus eſt; quemadmodum enim ad ſtabiliendam fidem ſive legem aliquam novam & fortaſſe iniquam, miracula quę conſarcinaverit quiſpiam, impoſturam redolere ſemper nobis viſum eſt, ita quidem quæ bonis artibus, nedum miraculis ſancita *Lex*, ſive *Relligio*, à nobis ſemper ſummo honore habita eſt; ipſa interea θαύματα non ſolùm tanquam poſsibilia, ſed & revera facta fuiſſe, (maximè verò cùm in bonum aliquem finem edebantur) ubique accepimus; Quorſum enim ſolus dubitaret quiſpiam, cùm pluribus celeberrimis *Provincijs*, *ſæculis*, *ſcriptoribus*, Authoritas Hiſtoriæ alicujus ſive *ſacræ* ſive *prophana*, vallata, ſtipata, munita ſit? Hujus modi ſcripta igitur, ſi non tanquam veritates ipſas, ſaltem prout *veritatis Civitate donatas* quidni habere licuerit? Quod tamen ſobriè, & intra cancellos intelligendum; Te enim ex axiomate iſto

falli

falli poſſe continget, ſi infœlici *ſæculo*, *regione*, *ingenio* natus ſis; Axiomata autem parum, vel non omninò *veritatis* dignitatem tuentur, quæ indebitè applicata ut fuerint, falſum eâdem facilitate adſtruent; neque enim concludit & imponit idem Argumentum; Proinde non eſt ut rudis & ineruditi ſæculi aut regionis conſenſus te moveat, ſive incola fueris, ſive inquilinus; Nos quidem iſtius farinæ plurima neque *vera*, neque *falſa* eſſe perhibemus, ſed ſuis Auctoribus & ſæculis vindicanda relinquimus; hoc ſolummodo obſervamus, miracula quædam centum poſt annos obitus illius, qui ea patraverit conſcripta, centum deinde poſt annos, credita ut plurimùm fuiſſe, quę adeo, tanquam *dubiæ fidei*, in omne ævum quidni ſuperſint, cùm argumenta unde *Authores*, vel *veri* fuerint, vel *falſi*, nos æquè ac poſteros lateant? Ne interea fructum illum eximium, qui ex hiſtoriarum lectione capi poteſt, omiſiſſe videamur, præmittendum eſt, *Hiſtoriam* vicem *objectorum* ſupplere, & proinde *providentiæ Divinæ univerſalis* & *particularis* ſpecimina egregia, exhibere; cùm igitur aliquid *ſapienter*, *fortiter*, *pie*, *juſtè*, *temperanter* geſtum, legeris, facultates Analogas, ſive notitias communes in te excitari ſenties, & res rectè ſe habere, apud te ſtatues; Heic igitur (quemadmodum ubique) quæ *notitia communis*, ſive *incontroverſa veritas* ſubſit, in te explorabis; *adſenſum* enim (ex facultate aliquâ conformante oriundum) in *foro interno* ſenties; quô modô ad teipſum regrediens, *facultates* illas, quę docent *te debere eſſe ſapientem*, *fortem*, *pium*, *juſtum*, *temperantem*, in te exciri deprehendes; *flagitiorum* verò & *ſcelerum* peractione, *reluctationem*, quandam & *horrorem*, ex iiſdem notitiis communibus, (vires ſuas in nobis exercentibus provenientem) in te urgeri animadvertes. Porrò, de *liberatione innocentium*, de *aſſertione veritatis alicujus ſuppreſſæ*, de *funeſto proditorum exitio*, de *vindictâ perjurij* ſive *fidei datæ non exolutæ*, etiam ad *poſteros* tranſmiſſâ, &c.

quæ prædicantur, ad ſanctionem attributorum Divinorum in foro interno deſcriptorum facere obſervabis; & ut paucis dicam, quodcunque ad *providentiæ Divinæ* ſive *univerſalis*, ſive *particularis* decreta ſtabilienda conducit, ex *hiſtoriis*, & antiquorum monumentis utiliſſimè erues; Quinimò, ſi quid iſtâ lege, animo, ſive votis non reſpondere, animadvertes, *judicia Dei ſecreta* hîc ſubeſſe apud te ſtatues, & Authorem in cauſſis rerum explicandis, ſi nòn tanquam *falſum* omninò, ſaltem tanquam *mutilum* conijcies; nullibi enim à ſeipſo recedere, Deum Opt. Max. cauſſæ rerum ut nos doceant ſint, notitia eſt communis. De uſu lectionis *hiſtoriarum*, in *politicis*, *naturali Philoſophia*, &c. aliorum ſit ſermo, circa quæ uti plurimæ *notitiæ communes* ſubſunt, ita earum diſquiſitioni, adeo inſeruit *hiſtoria*, ut nondum exploratæ indè excitentur, dubiæ confirmentur, conſtantes reponantur; Magno igitur bono noſtro, *Hiſtoriarum* lectioni impenditur tempus, cùm exinde non ſolùm *verum*, ſed etiam *Bonum*, elici poſsit.

Attamen, non ſolùm circa *priorum ſæculorum* geſta hallucinari contingit, ſed & nos, nobis ipſis in plurium objectorum conformatione imponere, ita in more eſt, ut aliqua tanquàm *vera*, quæ vix quidem *veriſimilia* fuerint, accipiamus; cujus generis enumerari poſſunt, ea quæcunque, ad quorum conformationem deſiderantur conditionum aliquæ quæ circa libri principium attulimus; quibus ſanè, ut *latitudo* aliqua detur, intra quam, ſatis commodè ſtari poſsit; ubi tamen earum quævis omninò deeſt, nullam tutò adhiberi *fidem*, procul dubio exiſtimamus: inde *claſſe notitiarum communium*, *veriſimilia* vocamus, quæ necdum ſatis in ſeipſis conſtant, cujus modi fuerit omnis, non ſatis intellecta, expenſa, recognita, & cum reliquis ejuſdem ſeriei collata propoſitio. Ideò tota ferè Aſtronomia, ſive Phænomenorum ex viſu doctrina, Præſagiorum ars ſuper-

ſtitioſa, & vulgaris, commenta Philoſophica ex ſolis conjecturis conflata, Hypotheſes, & poſtulata nonnulla in quibuſdam Theologorum Scholis recepta *veriſimilia* tantummodò fuerint; inde claſſe *ſenſuum internorum* anomala & phanatica deliria quædam deprehendimus, quibus (perinde ac res ipſæ extarent) *fidem* ad tempus adhibemus. Inde claſſe *ſenſuum externorum*, imperfectæ & rudes notiones; Inde denique in *diſcurſu*, ex miris Rhetorum præſtigijs, opiniones & dogmata, non ſatis cohęrentia, emergunt; quibus niſi ſua certitudo per quæſtiones noſtras, (*verum*, à *veriſimili*, à *poßibili*, & *falſo* diſtinguentes) aſſeratur, *fide* dubia & ancipiti, noſmet intus vexari ſentiemus; Hujus modi univerſa demum quæ, poſt examen debitum, neque planè *recipi*, neque *reijci* contingit, inter *veriſimilia* numerantur; quatenus tamen iſtis, ſua (obſcura licet aliquandò & ſubluſtris) vindicari poteſt *fides*, meliorem *hiſtoriâ* ſortiuntur conditionem, quam neque *approbare*, neque quidem *reprobare* ob defectum circunſtantiarum, ad veritatem exantlandam poſtulatarum, licet. Hæc autem breviter hoc in loco dicta ſunto; quia libro noſtro de errorum cauſſis, iſta fuſiùs, Deo juvante, tractabuntur: Cùm igitur omne *veriſimilis* genus, *hiſtoriâ* exceptâ, medio conditionum, & penſitationis debitę in *veritatem* evadere, vel ſaltem tanquam *falſum* dimitti poſsit; ſatis quidem liquet quantum *methodo* noſtræ deferendum ſit, quæ *propoſitiones ſingulas*, ſub *quæſtione propria* expendens, (illorum more qui nil niſi præmanſum, ſtomacho commendant) hęc conficit, illa reijcit: quo pacto, quod ſecundùm *totum & partes ſuas*, rite intellectum fuerit, hæſitatione nullâ excipi ſenties, velut, alterâ ex parte, ubi conditionum aliquę, aut aliqua ſaltem defuerit, vel *præconcepta opiniones* fuerint *falſæ*, *averſationem* & *diſſenſum* quendam, (*organa* ſi conſtent) incuti animadvertes; Ex quibus patet, non ſolùm illud, quod

quod *verum* in ſeipſo fuerit, *dubium* & *ancipitem* inducere poſſe *ſenſum*, ſed & *veriſimilia*, immo & ipſa *falſa* tanquam *vera* exhiberi poſſe, donec ad quæſtiones noſtras, & calculum facultatum revocentur, ſine quibus, de veritate illâ perfectâ & conſummatâ deſperandum eſt; Quemadmodum enim errores turpiſsimi, ex *veritatis* alicujus admiſtæ condimento, ſæpenumerò non ingratè ſapiunt; Ita quidem ipſiſsimæ *veritates* errorum levi fortaſſe embammate delinitæ, ſatis faſtidioſè reſpui ſolent; qua ratione etiamſi quæ *vetera* videntur, (exortum ſi ſpectas) fuerunt aliquando *nova*, ita, quæ ex falſarum opinionum præconceptarum obſtructione, *nova* videntur, *antiquiſsimæ* immò & *æternæ* eſſe poſſunt *veritates*; cùm enim in confeſſo ſit, hoc ipſum ab omni ævo *verum* fuiſſe, *novum* tibi ut fuerit, non jam *novum* ſeu *recens* in ſeipſo exiſtimandum eſt: *Æternas*, igitur, ex probâ facultatum conformatione, quærite veritates, Hæc noſtra denique veri bonique conſulite, quibus, licet plurima circa Authores & nomina magna, quaſi ex induſtriâ omiſſa videantur, id tamen faſtui & ſupercilio, non tribuatis, ſed modeſtiæ cuidam, quæ aliorum ſcripta in examen perducere non ſuſtinuit, quo nomine, neque Orthodoxis, neque Heterodoxis Eccleſijs bilem moviſſe, hijſce noſtris ſperamus quidem; eoque magis quòd communem ſententiam venari potiùs, quàm particularem aliquam doctrinam attexere in votis habuerimus.

DE POSSIBILI.

QVOD præterita ſpectat, à nobis *veriſimile* vocatur, uti denuò *poſſibile*, quod futura; Ita enim ubique hoc in opere accipiuntur; Pulchra autem de Naturâ *poſſibilis* dici poſſunt; *poſitis enim mediis ad finem, & ipſum finem poni*, ſeu *æterna*, ſive ea etiam quæ ſunt *ad tempus*, attendas, è Naturæ ſapientiâ deſumpta eſt *notitia communis*; quemadmodum interea facultates, circa *præterita, præſentia* & *futura*, dudum partiti ſumus, ita ſi medio facultatum, quæ in hanc claſſem adoptantur, naturali quadam propenſione, in objecta *æterna* & *infinita*, eo nixu feratur mens noſtra, ut in illis ſolis acquieſcat, quidni (interpoſitis conditionibus) votorum compos fuerit? Quæ igitur ad excitandam *fidem* (omninò à *credulitate* diſtinctam) concionibus & Doctorum ſcriptis adferuntur, utiliſsimè accipi obſervamus, ut quæ ſola, ita *futura* anticipet, ſola demum ipſa *æterna* ita præveniat, ut illis quodammodo, hac in vita fruatur; neque igitur *fidem* circa præterita, niſi *communes notitiæ* viam ſternant, huic noſtræ commiſceas; cùm quæ circa futura, vera illa *fides*, hæc altera, fortaſſe (niſi quæ ſacris & θεοπνεύστοις voluminibus continentur, excipias) *credulitas*; illa *facultas Divina noëtica*, hæc non niſi *facilitas & proclinatio quædam*, ad *veriſimilium* conformationem, exiſtimanda ſit. Huc accedunt, (conſopitæ in aliquibus ut lateant) *facultates* ad *prædictiones univerſales*, *facultates* ad *prædictiones particulares*, quas medio conditionum ſuarum, nempe *morborum*, & *furorum* quorundam excitari non raro advertimus; cùm enim præſentibus incumbere ſoleat mens noſtra, extra ſe fuerit neceſſe eſt, cui futura reſerantur; quod tamen haud ita intelligi volumus, quaſi *qui humanos*

ſenſus

ſenſus amiſerit, (ut olim lepidè dictum) *Divinas proximè attigerit*; ſed quod corpus immo & corporea objecta, penitus obſtaculo ſint, quominus, Divinas explicet facultates mens noſtra: ideo, morbô ſupremô, è mole proſiliens ſua & quodammodo geſtiens, futura prænunciat; Hinc *duplicem faciem animæ* tribuit priſcorum Auctor non invenuſtus; *Unam*, obtutum in objecta caduca, hac in vita, figentem; *Alteram*, in æterna, converſam, cujus poſt hanc vitam, uſus fuerit; ſed quia hæc figuratè & quaſi Poëticè dicta, vera ut re ipsâ ſint, minùs ad rem noſtram faciunt; nos quidem *caduca* & *æterna*, neque ijſdem reſpondere facultatibus, neque ſimul percipi contendimus, ut proinde dilabidum heic ſtatum mutari, & novum corporis habitum indui, mirum non ſit; eoque potius, quod uti ſuprà docuimus, *revelationes* quæcunque, diverſam à communi, obtineant conformationem; quod ut cætera mittam argumenta, ipſe docebit *ſenſus*; tractus denique quidam tenues, & veſtigia ſtatus futuri, non ſolùm in *facultatibus* & *notitijs* circa *honorem*, *gloriam*, & *præclaram illam exiſtimationem* adumbrantur, ſed in illis etiam, qui nos, *ut tempus ſuaviter conteramus*, inſtigant; ſecreto enim ſtimulo, ad vitam futuram perducunt, & cum voluptate trahunt, facultates iſtæ; quę (ſuo ut muneri deſint facultates reliquę) adeo minimè labaſcunt, ut ſummâ fiduciâ, meliora, juventute noſtrâ, & ijs quę accepimus delectationibus, supereſſe doceant; ſed ut propiùs rem perſtringamus, cùm in ordine ad Beatitudinem ęternam, ſit facultas quæcunque, facultates univerſæ circa illum ſtatum futurum, verſantur, quem ſolum ἄδηλον ſtatuere, nefas fuerit; Eſt igitur Beatitudo æterna, poſſibilis; Equidem, Embrioni (denunciare ſi licuerit) alium utero materno mundum, meliorem ſuâ demum ſupereſſe vitam, vel non crediturum, vel ſaltem rejecturum ex ſolis fortaſſe cœli inclementijs adductum arbitror; Maturatus ta-

men ad partum, & velo (ut ita dicam) ſublato, excludebatur, nova ſubinde (etiam invitus) detegens objecta: ſecundanus manet iſte objectorum orbis, quem adeò *conſtrictum*, *humilem*, *anguſtum*, homini ſcientiâ prædito omnifariâ, ac uterum Embrioni, non ſemel adnotavimus. Quidni fortaſſe & tertius, nulla ſi non in infinito ſpatia? Iſtis igitur unà cum corpore denudatus, & tanquam ſpolijs exutus, in Patriam proſilies, agilis, integer, Divinus. Habebis quas tecum adduxiſti facultates, ad numerum objectorum ſeſe explicantes, quibus præterita & futura complectens, agnoſces tandem, *ſpem*, *fidem*, *amorem*, in Deum (objectum nimirum proprium) collatas; plura quàm *furores*, *dementiæ* & *morbi* illi (de quibus ſuprà) præſtare poſſe: proinde univerſa rerum conſilia tibi patere, & in *infinito* te nihil non ſperare, & adſequi poſſe, fateberis. At parum fidi, ſupremâ ſe totos excidere die putant, quod reduces demum haud videant mortales inde argumentantur animas Sophiſtæ; ſed quô modô in id quod jam ſeipsâ arctius, redierit anima? Ignorant fortaſſe ſolutam jam omnibus, quæ heic conſpiciuntur majorem eſſe animam humanam? mundum demum iſtum repetere, æquè indecorum, ne dicam impoſsibile, ac recens nato uterum? ſublimiorem tandem & illuſtriorem eſſe animam, quàm ut in furvum & humile iſtud antrum remeare vellet? Equidem, ſi mihi credis, non ad ſtaturæ vulgaris eminentiam, ſed ad facultatum extenſionem exporrigitur Anima; Cùm autem ad Solem & ipſa uſque ſydera feratur facultas viſiva, cùm demum intellectus & voluntas circa infinita & ęterna verſetur, nonne iſta adhuc ſpirantes pertingimus, prenſamus, nonne iſta quodammodò induimur? At frigidè fortaſſe de teipſo ſentiens, majora quàm ut credere par ſit, prædicari exiſtimas; teipſum tandem intra morticinſum tuum ſiſtens, extra clauſtrum illud te produci negas: ſed quænam iſta puſillanimitas, quînam ſpaſmus? Neſcis

fortaſſe,

fortaſſe, te tandem exuere corpuſculum, excutere pulviſculum iſtud, non ex eô egredi? Te interim ita procerum, ita excelſum, ut in ea omnia erigaris quæ probè noſti, ſive cœleſtia ſive æterna tandem fuerint? ſtupiditatem extremam dixerim, non ſentire, te ad omnem mundi plagam expandi, ad cœli tantummodò non ad capitis verticem præfiniri, dum cœleſtium motum & rationem inis; Qualis pumilio cluis, ſi intra ulnarum binarum complexionem te totum recipis; Quidni cum animo ipſum corpus quodammodò deſtituis, deſpondes? Cæterum majus eſt quàm ut anguſtijs iſtis concludi poſsit animal Divinum; Atqui neque ipſum corpus ſemper capit menſura ſua; Tumet nimirum, & cæcâ quadam ambitione inflatur, quę ſua ſunt tandem quærit potiùs, quàm quæ ad animam ſpectant; Quinnimò inaudita prorſus narranti, inquies fortaſſe Lector, te non ſatis heic aſſequi vel animam, vel corpus; At ipſe, neque ullum mortalium; Quinam Embryon exploravit ſeipſum, quinam adultus explorabit unquam? Numinis vi tacitâ regimur, in noſtrum jus non ſatis aſſerti, donec iſto excludamur & corpore & mundo: Minùs interea liquet, quid corpus quã quid anima; neque enim quæ nobis cum corpore intercedit neceſsitudo, affatim conſtat; Ne tamen fruſtrà ſint quæ heic allata, dicam quod res eſt, ſed ænigmate: Nempe corpus, ſive carnem iſtam, pudenda animæ ſenſitivæ velare & obnubere; Hominem verò cætera nudum ad ea omnia ferri, quæ vel capit intellectus, vel ipſa forſan fides; Hôc igitur tegmine ſolo amictus, caput, (facultates ſcilicet noëticas) ſupra nubes exerens, & omnia latè ſpeculans, intra cœli & terræ pomœria liberè expatiatur Homo, mortem (natalitium ſcilicet diem) magno præſtolans animo: Attamen quia heic aliquod interponi ſolet tempus, non abs re fuerit, in animum revocare qualis olim extitiſti; Rem igitur ad umbilicum (quod aiunt) perducens, ita tecum reputare licet;

Mihi

Mihi Embryoni parentis arvo deliteſcenti, nihil eorum quæ poſteà conſpexi, vel prætentaſſe fas; Pupulus autem, immo & æternæ vitæ alumnus factus, circa ea vacillarem, in quæ ultrò exolvi debuiſſem? An mercatoris ſubdoli vafritie, ęternam (quę oſtentabatur) fœlicitatem, mihi quaſi præſtinanti, & tantum non potienti, exuetur pactum? An mihi fraudi erit, immortalitas & Beatitudo illa æterna, quâ jam frui incœperam? Dicendum potiùs, melior mihi conditio obtigit, quàm non ita pridem, inter fæcum æſtuaria volutanti. Qui iſtam jamdudum erogavit, potiorem erogare poteſt vitam; Puerperium olim, debitum tempus ſuſtinui; jam autem Cœlitibus proximum nomen; nonne ijs quæ mihi ſanctè promiſſa immorer; Nonne meam, nonne ſuam liberabit fidem Deus Optimus Maximus? E mundo, ſublunari iſtâ ſcilicet & fœcunda matrice egreſſus, quæ præcepiſti olim, jam ſtringes? Iter igitur conficienti, primò occurret cœruleum illud, quod Cœli laquearia exiſtimat vulgus, ſed imperitè; Eſt enim aëris portio tenuiſsima, ex diſtantia, (uti Optices periti norunt) colorem iſtum æmulans: Quo emenſo, ſydera comparebunt, non in ſcintillationem, non in nictationem duntaxat facta, ſed in novos orbes: Recludetur demum (ut paucis dicam) etiam ipſum Infinitum; Quæ non autem in Infinito diſtantiæ, quæ non tranſcendentię? cujus momentum aliquod ex eô æſtimabis, quod nullo impleatur aut depleatur numero: Ideo neque adjectione augetur, aut ſubductione minuitur, ſed modò abit in ſuam Naturam, modò redit Infinitum; Vbique tandem ſibi conſtans, ita nullum ambit locum, ut neque ab ullo ambiatur; In quantumvis igitur ut emanent amplitudinem ſui compotes poſt hanc vitam animæ, protrudetur potiùs quàm ſiſtetur Infinitum; Quid opus igitur (ſi Infinitum reſpicias) in anguſtis quibuſdam gurguſtiolis, pręmium vel pœnam, animabus hâc vitâ excedentibus deſcribere?

bere? Cineres quidem brevis capit urna; ſed animam quam ſolā heic fortaſſe(pro dignitate ſaltē)non cōplectimur, neq; totus quē heic vides,dehinc complectetur mundus;Satis habeant Authores igitur in *Infinito*, & præmij & pœnæ latiſsimas dari ſedes,adeò denique acceſsione aliquâ non cumulari poſſe,ut laxetur undique, ut diſtendatur potiùs Infinitum; Brevi, in Infinito extare omnia, quæ vel imaginari potes, & ad hæc etiam omnia; Solus extra omnia ſitus; & ſui juris ſolus Deus Opt. Max. cuivis tranſcendentię præſidens, unitatis ſuæ immenſitate, Infinitum ipſum imbuit, ſignat, & quodammodò coërcet; quod adeò certum, ut quemadmòdum in *Infinito*, finita & univerſa demum rerum ſeries, ita in quolibet finito, aliquod ſaltem *Infiniti* ſpecimen deprehendi poſsit; Ideò res unaquæque in infinitas ferè partes videtur diviſibilis, ſed quia in *unitatem*, ultimum ſcilicet Infinitatis Characteriſmum,tandem reſolvi neceſſe eſt,utraque ſimul conſtare videtur; De auguſtiore illa ſignaturâ Infiniti, quæ noſtrâ arbitrij libertate conſiſtit, ſuprà monuimus; Ne prolixis tamen hijſce animæ dimenſionibus efferatur non nemo, adijcere placuit, haud ſecus extenuari & minui, quàm prolatari & ampliari poſſe animas, adeoque omnia geri, pro ęquo illo beneplacito Dei Opt. Max. ut vel conſtringi, & ſupprimi, vel rurſum educi, & in conſpectum exhiberi poſsint; ſed excurrimus nimis. Propria igitur *facultatum objecta* quærite,& *conditiones* denique quibus inter ſe conformantur; mirè enim, reſpondere *ſenſum internum* & ad *veritates* ſuas, tanquam ad *numeros Harmonicos* ſubſilire comperies, quibus aſſuetus, & *præſentia*, & *præterita*, & *futura*, ita in te diſcriminabis, ut nihil præterea morari neceſſum ſit; errorem denique omnem adeò declinabis, ut non ſolùm in evolutione libri cujuſcunque, ſive *ſacri*, ſive *prophani*, *veritatem*, à *revelatione*, à *veriſimili*, à *poſsibili*, & à *falſo* ex ipſo ſenſu proprio optimè di-

ſtinguere, ſed & *ſupernaturalis* illius *ſenſus* (qui immediatè ab ipſo demandatur Numine) rationem quam ſupra adduximus, deprehendere poſsis; quo pacto omnis & prævaricatori, & quidem obvaricatori hęretico præcludetur via.

DE FALSO.

OMNEM *veritatem incomplexam* (ſupra) in *veritatem rei*, *veritatem apparentiæ*, *veritatem conceptus*, & *veritatem intellectus* eâ de cauſſa diſpertiti ſumus, quod omnis *veritas rei*, & *intellectus*, ſit abſoluta, *apparentiæ* verò & *conceptus*, conditionalis: *Veritatem* denique *complexam*, ex veritatum particularium conformatione inter ſe, medio *notitiarum communium* oriri obſervavimus; quam idcirco uti *conditionibus* ita magis *errori* obnoxiam ſtatuimus; deinde *numerum veritatum* ex *differentijs*, *differentiarum* inveſtigationem ex *terminis* expoſuimus; *leges* denique quibus *facultates* cum *objectis* ſuis, ſive *proprijs*, ſive *communibus* conformantur, adtexuimus; ultimo Naturam *Revelationis*, *veriſimilis*, & *poſſibilis* adjecimus; Reſtat ut quid ſit *falſum* explicemus, quod paucis abſolvi poteſt, ſi ſuperiora conſtant, Quodcunque igitur neque *verum*, (vel naturale intellige vel revelatum;) neque *veriſimile*, neque *poſſibile* eſt, omninò erit *falſum*, quod non ineptè dicitur, ubi de præmiſsis conventum eſt; *veriſimile* interea, ut quæ magnam *falſi* miſturam obtinet, quemadmodum etiam *poſſibile*, ubi conditiones deſunt, medio quodam inter *verum* & *falſum* enumeraſſemus loco, niſi quod, dum in ordine ad entelecheiam ſuam exiſtunt, *imperfectæ veritates*, potius quam *falſitates*, exiſtimandæ ſint, reliquum eſt, ut Naturam *falſi*, & ejus denique *inhærentiæ ſubjectum*, expendamus; cùm autem neque *res*, neque *intellectum* falsò ſe habere, ſupra & quidem abundè docuerimus, reliquum eſt, ut illud *apparentijs* &

conceptui

conceptui affigamus; quas defectu conditionum *falſas* eſſe ſatis liquet; mendaces enim dantur *ſpecies*; quoniam niſi conditiones, ad earum legitimam à prototypis ſuis deciſionem poſtulatæ adſint, corrumpuntur; *conceptus* demum ita falli poteſt, ut ex *ſpecie falſa*, & *organo vitiato* novum ſuperinducere *errorem* poſsit. Quando denique ab *incomplexis*, ad *complexa* ventum eſt, & ex *falsò exhibitis ſpeciebus*, univerſalis aliqua Natura compingitur, *ſimplex error* fit *multiplex*; perperam enim præconceptæ opiniones, non ſolùm tanquam perfidæ & adulteratæ in ſeipſis, *verum* mentiuntur, ſed & omni juxta *veritati* obſtruunt viam: inde *errores diſcurſus* innumeri; Cùm enim hanc vel illam *notitiam communem* detrahere, malim dicere quàm deducere, Scholis ita ſolenne ſit, ut faciant maximâ ex parte, quod cum aliquâ aliâ pugnet, aberrare illis adeo minimè inſolens, ut, nullo ferè in argumento, Auditores ſuis ſtrophis non quodammodo emungant; quod nunquam contingeret, ſi *notitiæ communes*, ſuo retexerentur ordine, quemadmodum in libro noſtro, de *errorum cauſis*, (juvante Deo) fuſiùs probabitur; ubi neque ex aliquibus *notitijs communibus* niſi *univerſæ* adſint, neque ex *univerſis*, niſi in *ſuam compingantur ſeriem* pulcherrimum *veritatis* ſyſtema, inſurgere docebitur. Iam autem patet, *falſum* ſolummodo eſſe, quod *conditionale*; neque enim vel res *falſa*, vel *intellectus* eſſe poteſt, uti qui de præmiſſis ſemper, citra *errorem* judicet; & proinde *depravationem* & *falſum* realiter in *apparentiâ*, (quatenus ad prototypum ſuum refertur) quemadmodum etiam in *conceptu*, (in Analogia illa quâ ad *intellectum* conſtituitur) ineſſe poſſe; in *re* verò, & *intellectu*, per ſe non dari; ideo *intellectus* medio *notitiarum communium* ad conditiones regrediens, *errorem* caſtigare poteſt, & hanc *defuiſſe*, illam forſan *redundaſſe* adnotabit; & quę denique *notitijs communibus*, & ipſi *ſenſui* legitimè conformato adverſantur, *ſummè falſa* comperiet; Ex quo tan-

dem diſcrimen, inter *errorem* & *ignorantiam* inſurgit, nempe quod *error* ad *conceptum*, *ignorantia* ad *intellectum* attineat; cùm enim niſi excitentur, ſuâ involutæ pace & ſilentio delitescant *notitiæ communes*, in *intellectu ignorantiam*, *errorem* verò nunquam deprehendere licet: proinde *error* eſt *poſitivum quiddam*, *ignorantia privativum*; ex quibus liquet, quid ſit *falſum*; quod tamen Auctores una cum *veritate* latuit, neque enim de *vero* aut *falſo*, (ubi vel falſarij fuerint vel falſi) rectè ſenſiſſe videntur, quod Ænigma aut Griphus ſi cui videri poſsit, ex noſtris ſolvendum relinquimus, niſi *veritates* hoc in libro deſcriptas non omninò capiens *ignoret*, vel non ſatis capiens *erret*, vel pro menſura facultatum ſatis capiens, & negans, ultrò *inſaniat*: ex *libertate* enim *arbitrij*, ſive *ratione Infiniti in nobis ſignatâ*, oculos occludi, aures obturari, & in foro interno demum nihil ferè non ſupprimi, & extingui poſſe, non ſemel monuimus: talibus igitur donec reſipiant, interdicantur veritates noſtræ.

SPHALMATA & ERRATA *quædam fortaſſe in ſeipſo, nonnulla in Typographo, aliqua etiam in nobis corrigere licet, ingenuo Lectori, modò ultra facultates non ſapiat. Omnia tandem Eccleſiæ Catholicæ Orthodoxæ cenſuræ ſubijcimus.*

FINIS.

FEB 14 1900

u/7

UMI